22234/A

L.LIV

18/l


Veritatem Dies aperit
Pe. Petrini Inv. et ſc.

NICOLAI LANZANI
IN PSEUDO-GALENICOS
ACTIONES.

52746

NICOLAI LANZANI

NEAPOLITANI

Art. & Med. Doct.

Celeb. Acad. Incurioſorum Socii

IN

PSEUDO-GALENICOS

SIVE IN EOS,

Qui Phlebotomiam, Cathartica, & Veſi-cantia Remedia effrænatè, temerè, & inconſultè præſcribunt

ACTIONES TRES.

NEAPOLI.

E Typographia Joſephi Roſelli MDCCIII.

Superiorum permiſſu.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Illuſtriſs. & Excellentiſs. Domino

D. FRANCISCO MARIÆ SPINELLI

Principi Scaleæ, Muſuracæ Marchioni, &c.

Nicolaus Lanzani S. P. D.

SI quantum temporis, Excellentiſſime Domine, in decernendo an hoc opuſculum typis mandandum, nec ne, conſumpſi, tantum in eligendum Patronum, cujus ſub auſpicio in publicum exiret, erogaſſem, res profectò in longum abiiſſet. Verùm, quæ cura me diu attigit in opere emittendo, me nec per momentum quidem, cui id

dicarem, perſtrinxit. Siquidem mihi vix cogitanti, cujus ſub auſpiciis hæ meæ Actiones prodirent, præ cæteris omnibus Tuum Ampliſſimum Nomen illico occurrit. Quo quidem nihil mihi opportunius offerri potuit; etenim ſi Patrocinium non ab alio expetendum eſt, quàm à Principe Viro, qui nedùm Nomine, Generis Nobilitate, Gratia, & Auctoritate, ſed etiam Ingenio, Eruditione, & Doctrina plurimùm valeat: Ad quemnam igitur mea mentis acies, & conſilii ratio meliùs dirigenda erat, niſi ad Te, qui ſub primo ætatis flore, quo reliqui aut otio affluunt, aut ad voluptates omni impetu feruntur, Atavorum exemplo, incredibili literarum ſtudio incenſus, omnibus ingenuis, ac libe-

liberalibus diſciplinis animum exornes. Quæ in Te uno tanta concordia, ſuavique vinculo copulantur, ut qui Te in Humanitatis ſtudiis verſatum dixerit, injuriam profectò irrogat, niſi Te quoque bonæ, reconditæque Philoſophiæ præceptis imbutum: Qui Mathematicis diſciplinis excultum, niſi Te Hiſtoriarum valde peritum: Qui Muſarum alumnum, niſi Te multarum linguarum uſu præditum prædicaverit. Quæ quidem non modò iis, qui Te familiariter utuntur, verùm etiam omnibus ſic cognita, & perſpecta ſunt, ut ſumma in Te ſpes in rebus maximis gerendis, ſummaq; politioris literaturæ exſpectatio collocatur. Verùm illud majori laude dignum

 vide-

videtur , quòd cum tanta doctrinæ varietate juncto quoq; fœdere apparent eximius Animi Candor , ſenilis in graviſſimis rebus Prudentia, in omni fortuna Conſtantia , Equeſtris Ordinis Oſtentatio , Pietas ſingularis , Sanguinis Nobilitas nulli ſecunda . De qua ſi dicere inſtituam, vereor ne, cum dicendi principium vel facillimè invenero, exitum reperire non poſſim; Nam quis Tui Generis initium recenſere valet , ſi id nedum clariſſimis monumentis mandatur, verùm & Poſteritati tot excelſis,ac omni gloria decoratis Familiis feliciter propagatur , easq; ceu Truncus ut proprios ramos agnoſcit ? Quis Tuorum Majorum præclariſſima Geſta, Titulos, Principatus,Faſces,exercituum

Præ-

Præfecturas, Infulas, Purpuras, aliaque inſignia , & ornamenta narrare queat? Nemo quidem : Tot enim, tantaque ſunt , ut inſtar Torrentis affluentia , quemcunque ea laudaturum , etſi Tulliana dicendi ubertate firmatum, tranſverſim abripere valent . At quò imprudens evaſi? Cæcutire demerui, hebetem meorum oculorum aciem in tanto lumine ſiderum Tui Gentilitii Stemmatis figendo : Sidera enim Firmamenti, ut illuſtrentur, verborum ornatu non indigent : Tui Inclyti Generis Stellæ, ut nitidam vibrent lucem, mea vel aliorum probatione non egent ; quippe quæ, ut primæ magnitudinis, & excelſo atque illuſtri ſitæ loco , ſatis per ſe , nullo adhibito alienæ orationis lu-

mine in oculos omniũ incurrunt. Porrò quod meum animum magis inducit, ut ſub Tui Nominis patrocinio haſce meas elucubrationes evulgem, Tuoque politiſſimo Iudicio ſubjiciam, eſt, quòd in Perilluſtri Tua Domo literas defigere ſedem intueor; quoniam eos omnes, qui ad ſtudia incumbũt, ſingulari quadam benignitate proſequeris, & mira animi hilaritate allicis. Quod ſi in more poſitum, inſtitutoque Majorum Tuorum ſemper fuit, attamen Tibi, neſcio quo pacto, magis proprium eſt. Etenim inter alios virtute conſpicuos Viros, quibus ſtricta neceſſitudine adjunctus, quorũq; colloquiis quàm maximè frueris, præcellunt Gregorius Caloppreſe inter Philoſophos hac tempeſta-

te

te propemodũ ſingularis, omniumque bonarum Artium exemplar, & Iohannes Iacobus Morano, Vir ſuaviſſimis moribus præſtans, ac omni literarum generi deditus: De quibus ſi apud Te, Excellentiſſime Princeps, dicere velim, vereor ne mihi idem eveniat, quod illi contigiſſe fertur, qui cum apud Lacedæmonios Herculem laudibus ornare vellet, atque ideo eorum gratiam ſe aucupaturum putaret, inſperatum iſtud reſponſum ab ipſis obtinuit. Quis Herculem detrectet, aut execretur? Quis illum in Divorum numerum referre dubitet? ut tu nobis tanti Numinis velut ignaris illum laudare audeas, quem magno cultu hac in Patria paſſim veneramur. Sed alius erit de his di-

cen-

cendi locus; neque hoc mihi propoſitum eſt in præſentia, ſed tantùm à Te petere; ut haſce actiones Celſiſſimo Tuo Nomini inſcribi patiaris. Quod ſi feceris, nedum, pro ejus gravitate atque ſplendore, ipſis cæteroquin humili atque obſcuro ſtylo conſcriptis, gravitatis ac luminis plurimum arceſſetur, ſed etiam à cenſoria Ariſtarchi virgula, invidique dentis rabido morſu ſartas tectas ſpero fore ut conſerventur. Vale diu ſoſpes, Excellentiſſime Domine, Nobilitatis Ornamentum, Literarum Decus, Literatorum Mecœnas, & me, qua polles humanitate, una cum tuis famulis annumera. Neapoli Kal. Novembris, Anno CIↃ. IↃCC. III.

Illuſtriſs. e Reverendiſs. Signore.

GIuſeppe Roſelli Stampatore de' Libri ſupplicando eſpone a V.S. Illuſtriſs. come deſidera ſtampare un libretto intitolato: *Nicolai Lanzani Neapolitani Art. & Med. Doct. in Pſeudo Galenicos, ſive in eos, qui Phlebotomiam, Cathartica, & Veſicantia Remedia effrænatè, temerè, & inconſultè præſcribunt Actiones tres*: ſupplica intanto V.S. Illuſtriſs. commetterne la reviſione a chi meglio le parerà, e lo riceverà a grazia ut Deus.

Rev. D. D. Silveſter de Fuſco revideat, & referat. Neap. 25. Ianuarii 1703.

JANUARIUS DE AURIA VIC. CAPIT.

D. Petr. Marc. Giptius Can. Dep.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINE.

OPuſculum, titulo prænotatum, *Nicolai Lanz. Art. & Med Doct. in Pſeudo-Galenicos, &c. Actiones tres*, excultiſſimè elaboratum, diligenti oculo perlegi; ac in

eo

eo nedum omnia Catholicæ Fidei, & probis moribus conſonantia inveni; quin & dicendi ſuavitas, & verborum delectus, acumen, ingenium, venuſtas adeò animum allexit, ut repetito excurſu pervolvi, ſemperque *Aurum liquatum in literas* viſum eſt. Dignum ergo, ut publicam fruatur lucem exiſtimo, cum & perutile ſit, ad dignoſcendam inpoſterum ingenuam Galeni doctrinam, hac tempeſtate, tam inconſideratè jactatam. Ita cenſeo. Neap. Kal. Martii 1703.

Dom. Tuæ Illuſtriſs. & Rev.

Humill. & Addictiſs. Servus
Silveſter de Fuſco S.T.D. & Mag.
Parochus Eccl. Metrop.

Attenta ſupradicta relatione Rev. D. Reviſoris, quod poteſt imprimi, Imprimatur. Neap. 15. Junii 1703.

JANUARIUS DE AURIA VIC. GEN.

D. Petr. Marc. Giptius Can. Dep.

Eccel-

Eccellentiſſimo Signore.

GIuſeppe Roſelli Stampatore de' Libri ſupplicando eſpone a V.E. come deſidera ſtampare un libretto intitolato: *Nicolai Lanzani Neap. Art. & Med.Doct. in Pſeudo-Galenicos, ſive in eos, qui Phlebotomiam, Cathartica, & Veſicantia Remedia, effrænatè, temerè, & inconſultè præſcribunt Actiones tres*. Supplica intanto V.E. commettere la reviſione a chi meglio le parerà, e lo riceverà a grazia ut Deus.

Magnif. Art. & Medic. Doctor Hieronymus Piperi videat, & in ſcriptis referat.

Gascon R. Guerrero R. Biscardus R.

Proviſum per S. E. Neap. 22. Januarii 1703.

Portius.

Excellentissime Domine.

LIbellum, cui titulus: *Nicolai Lanzani Neapolitani Art. & Med.Doct. in Pſeudo-Galenicos, &c.* legiſſe, probaſſe fuit; in

eo

eo enim, velut in germano Latinitatis campo omnem Medicinæ ſegetem efflore-ſcere perſpexi; nullamque erroris procacem ſpinam apparere, quæ Regale Lilium, bonorumque morum florem vel leviter lædat, adinveni: Quapropter meâ quidem ſententiâ non typis modò, verùm etiam æternitati mandandum cenſeo. Neapoli IV. Kalendas Junii 1703.

Excellentiæ Veſtræ

Addictiſſimus Famulus
Hieronymus Piperi.

Viſa ſuprascripta relatione imprimatur; verùm in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

Guerrero R. Biscardus R.

Proviſum per S. E. Neap. 30. Julii 1703.
Portius.

Cet. Spect. Reg. imped.

Illu-

Illuſtriſs. Domino Abb. D. Ignatio de Lauro Incurioſorum Roſanenſis Academiæ Archiacademico S. P.

OPus in Pſeudo-Galenicos ab Art. & Med. Doctore D. Nicolao Lanzani noſtræ Academiæ emeritiſſimo Conſocio concinnè, omnique eruditione elaboratum libentiſſimo animo accuratè perlegi. Et cum lumen, decusque ſuis laboribus noſtro ſcientiarum cœtui afferat, conferat; & prælo dignum, & ut Academici præſeferre nomen poſſit agnovi, & Conſociis tanto de Viro gratulor, Tibique, Eruditiſſime Princeps, refero. Neap. X. Kal. Decembris Ann. Salutis MDCCIII.

V. I. D. Andreas Perrucci Cenſor Acad.

Abb. Ignatius de Lauro Incurios.
Acad. Princeps.

Accuſatores eſſe in Civitate utile eſt, ut metu contineatur audacia.

Cicero pro Sext. Roſc. Amer.

AUCTOR LECTORI

VEreor, Amice Lector, ne vel in ipſo hujus Libri veſtibulo frontem contrahas, ac ſub ipſomet titulo me nimis audacem in Galenicam Sectam damnes? Sed quid metuo? quid dubito? Num ſi titulum perlegas, me in PSEUDO-GALENICOS, *& haud in veros Galeni Aſſeclas, invehi clarè intelliges? Specta denuò, Benevole Lector, titulum, ejusque verba etiam atque etiam expende; phlebotomiæ ne, cathartici, & veſicantium abuſus, an uſus à me hoc opuſculo exagitetur? Abuſum equidem increpo atque accuſo: quippè cum* IN EOS, QUI PHLEBOTOMIAM, CATHARTICA, ET VESICANTIA REMEDIA EFFRÆNATE, TEMERE, ET INCONSULTE PRÆSCRIBUNT *vehementiùs declamem. Quod ut non abs re me feciſſe exiſtimes, quænam id mihi elucubrandi occaſio fuit, te lateat nolim. Cum ex eo tempore, quo Praxi Medicæ operam dedi, phlebotomiam, cathartica & veſicantia remedia à quibusdam Medicis, qui ſe Galenicos plebi venditabant, in Cœlum uſque laudibus efferri, & quæcunq;*

eſſet febris, quicunque morbus ea inconſideratè præſcribi, obſervaſſem, in animo ſemper meo quoddam deſiderii igniculum inſedit, opuſculo quodam tam pernicioſum abuſum perſtringendi. Quem autem cum quotidiè magis, magiſque percrebeſcere vidiſſem, ut ei tandem finis imponeretur, priſtinusq; Galenicæ Sectæ candor reſtitueretur, manum operi celeriter admovi. In quo quidem elaborando non parum moleſtiæ ſuſtinui; quippe quod ſubſecivo tempore à me confectum fuit. Itaque ego neque temeritate, neque livore, aut malevolentiâ adductus hanc in me provinciam ſuſcepi; ſed me ſingularis Amor veritatis, & communis omnium ſalus, quæ ſemper ſpectavi, ad hoc opus aggrediendum permorunt, atque impulerunt. Cui, cum extremam prorsus manum appoſuiſſem; ac me nimis in hoſce Medicaſtros ſæviiſſe obſervaſſem, in ſpongiam id potius incumbere, quam in Typographorum officinis excudere cenſui. Verùm cum in manus & oculos meum hoc opuſculum plurium Amicorum emunctæ naris perveniſſet, non modò non reprobari, verùm & me, quòd tandiu illud celavi, exprobari agnoviſſem, prælo tandem committere decrevi. Cumque ita ſtatuiſſem, diu anceps fui, quid potiſſimum

mum

mum nominis ei imponerem, & quanquam mihi ſatis ampla, atque magnifica occurrerent nomina, quibus explicandis, utramque, ut ajunt, paginam implerem, ſatius eſſe tamen duxi, ſi ex tot, tantisque decoris nominibus ſimplex illud Actionis eligerem. Hinc non temerè, ut reor, hoſce meos labores ACTIONES *inſcripſi; utpote iis, exemplum Actionum Ciceronis in Catilinam, & Cajum Verrem ſecutus, in judicium falſos Galeni Sectatores veluti convocem, & errore convictos è Medicorum albo expungendos eſſe apertè demonſtrem. Quare ne hæ meæ Actiones ab iis, quæ in Roſtris, atque in Foro habitæ ſunt, diſcreparent, ſpecioſa uti fictione oportuit, me nempè in numeroſo Auditorum conventu declamare, in quo non modò Populus, & Clarorum Virorum Cœtus cum Ampliſſimo Senatu coadunati, verùm & Galenicæ Doctrinæ Corruptores,* PSEUDO-GALENICORUM *nomine eſſent convocati. Dedi inſuper operam, ut, ſicubi Hippocratis, Galeni, vel aliorum Auctorum ſententias mihi uſurpare commodum fuit, loca, ex quibus illas excerpſi, in margine diligenter annotarentur; & ne quid aſperum, vel interciſum, quod Oratorium ſtylum deturparet, inter legendum tibi objiceretur, propria*

eorum

eorum verba contortis virgulis deſignanda curavi. Præterea ad tædium, quod ex longiore lectione oriri ſolet, demulcendum, notulas etiam in margine diſtribui, quibus ea, quæ in multis paginis diſſeruntur, artificioſa quadam verborum brevitate includantur. Te interim rogo, ſi in meo hoc opuſculo acerbius aliquod verbum in Pſeudo Galenicos offendas, meque aliquando, ut cum Plauto loquar, lapides loqui, inſpicies, ne quid culpæ in meum animum, qui ſemper à conviciis procul abfuit, ſed in Declamatorum, quo uſus ſum, ſtylum transferas, quibus, ut optimè calles, major dicendi libertas, & acrior inſtandi vis ex lege Rhetorum permittitur. Itaque ſi in verba Expunctionis, Abraſionis eorum nominum è Medicorum albo, & in quid hujusmodi vocum tuus oculus fortè incurrat, nolim hæc acidâ linguâ à me dicta exiſtimes; animo enim reluctante ex calamo, neſcio qua declamatoria vi percito, effluxa fuere; equidem, ex communi Fori inſtituto, ad Actoris munus ſpectat, ut in reos in jus compulſos, denunciatâ culpâ, aliquid pœnæ infligatur. Præterquamquod illud unum hac ſuper re, velim cogites, haſce meas Actiones merum commentum eſſe. Neque te latere opinor, ſi Sanguinarios, Stercorarios,

varios, Veterinarios eos nonnunquam appellem, hæc nomina à Religioſiſſimis etiam Viris in illos, qui Phlebotomiâ, Catharticis, & Veſicantibus Remediis intemperanter uſi fuere, injecta fuiſſe. Quo fit prætérea, ut ſi aliquis ſe offenſum declaret, ipſe ſe met accuſet, non meas Actiones: Tollat abuſum; in præſcribendis ſic temerè hujusmodi remediis ſe cohibeat; uſumque ſibi retineat, & confeſtim ex judicio evadat; quin Pſeudo-Galenici poſito quoque nomine, nedum in noſtrum numerum adſcribemus, verùm & datis, junctisque dexteris arctiſſimo amicitiæ vinculo conjuncti erimus. At ſi mea in jacula ſpontè incurrat, & cum ſe fractum, ac perculſum videat, non recedat; ſed in eadem animi obſtinatione, abuſus præfractè tuendo, permaneat; quid dolet, ſi hanc technam in ſe ipſum ſtruit, & ut in proverbio eſt, Mala ad ſe trahit, tanquam Cœcias nubes? Palmare eſt illud Senecæ monitum lib. 2. de Ira cap. 34. „ Percuſſit te? Recede; refe„ riendo enim, & occaſionem dabis ſæpius „ feriendi, & excuſationem „ Porrò ſcias velim, ne me tanquam Plagiarium Scriptorem accuſes, me multa ex variis Auctoribus (id quod dicere non erubeſco) excerpſiſse; at, ut ea, vel obſcura faciliora redderem, vel ut

ſparſim

ſparſim dicta in unum colligerem, atque, ut ad id, quod ſcriberem, aptè caderent, plures, ut dici ſolet, lucernarum fuligines à me hauſtæ fuere. Poſtremò te, priusquam valere jubeam, monitum velim, me alias Actiones inchoatas, atque rudes contra nonnullos alios Medicorum abuſus in manibus habere, quas, ſi hæ tibi arriſerint, quamprimum abſolutas, perpolitasque typis excuſas videris. Vale, & præſenti literario munuſculo, qualecunque id ſit, fave, & fruere.

IN PSEUDO GALENICOS,

SIVE

In eos, qui Phlebotomiam, Cathartica & Veſicantia Remedia effrænatè, temerè, & inconſultè præſcribunt,

ACTIONES TRES.

PRÆFATIO.

QUouſque tandem abutemini Pſeudo-Galenici patientiâ noſtrâ? quandiù nos confidentia iſta veſtra eludet? quem ad finem ſe jactabit, & quid quæret animus veſter audaciſſimus? Nihil ne vos queribundæ Civium voces, nihil Sapientum à vĕſtra medendi methodo alienatio, nihil Vulgi disjunctio, nihil Artis Medicæ decus & incrementum, nihil Medicorum Galenicam inſtaurantium Sectam ſumma auctoritas, ampliſſima dignitas moverunt? Patere veſtram incuriam non cognoſcitis? Omnibus jam detecta veſtra non videtis errata? Quid præpoſterâ phlebotomiâ, quid impor-

tuna catharſi, quid intempeſtivis veſicantibus patraſtis, quem noſtrum ignorare arbitramini? O tempora, o mores! Senatus hoc intelligit, Magiſtratus videt; hi tamen adhuc nobiſcum vivunt. Vivunt? immo verò exitioſis hiſce remediis impune noſtrorum civium lanienam inſtituunt. Nos autem, Auditores Ornatiſſimi publicæ ſaluti providere videmur, ſi ſemiobolarem iſtorum doctrinam frangamus, abuſusque vitemus. Quodnam igitur huic tam pernicioſæ corruptelæ comparandum remedium ſit? Quid pœnæ tantæ horum impudentiæ inveniri jam poſſit? Quid his hominibus faciamus? Quid? injurioſè profectò tractarem veſtram, Senatores Ampliſſimi, auctoritatem, ſi id, quod ex vultu veſtro, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, clarè perſpicio, improbarem. Expectatis ne, Pſeudo Galenici, quid hoc ſit? quæ in vos Magiſtratus voluntas? Vellem hic me eſſe elinguem: vellem in tanto Virorum cœtu, ubi florem tota ex Urbe delibatum jam video, me non inhumanum videri: at erumpet aliquando ex me vera vox, & dicam ſine cunctatione, quod ſentio. Senatus jubet, veſtra è Medicorum albo nomina eradantur, quin

al-

altiùs ea Veterinariorum in tabulis incidantur. O Fortunatam Urbem, ſi hi homines ſordium hirudines, imo ſordes ipſæ & fœcula Medicorum in te non ampliùs medendi munus ſuſtinuerint. Ex Medicorum cœtu vos expelli jampridem oportebat: in vobis veſtra ſæva præſidia, quæ in noſtris civibus tanta clade experti eſtis, periclitanda erant. Fuit, fuit iſta ſemper Magiſtratui mens: nunquam, quod veſtri poſtulabant abuſus ex Senatus animo effluxit: non defuit conſilium, non auctoritas hujus ordinis. Noſtra, noſtra autem clementia, apertè dicam, fuit illa, quæ tandiù aciem hujus auctoritatis hebeſcere valuit; ea enim ſpe ſemper tenebamur, ut illuceſceret aliquando illa dies, qua à veſtra diſceſſuri eſſetis ſententia, & id, quod tempus poſtulat, ratio præcipit & experientia demonſtrat, amplexuri: Et vos adhuc vivitis, & vivitis non ad deponendam, ſed ad confirmandam ſtultitiam? Eja expungantur ex albo veſtra nomina; nobiscum verſari jam diutius non poteſtis: non ampliùs ferat, non patiatur, non ſinat Senatus: Non ferat; quia ſanguinem effrænatè detrahi præſcribitis: Non patiatur; quippe ca-

 thar-

tharticis alvum temerè ducitis : Non ſinat; quoniam inconſultè veſicantia uſurpatis. En tria firmiſſima argumenta, quæ baſis inſtar ſuperpoſitæ harum Actionum fabricæ ſuſtinent pondus. Adeſtote igitur omnes animis, qui corporibus adeſtis: non de re ludicra aut levi agitur, ſed de veſtro negotio omnium ſummo, extremo, maximo, de veſtra nempe ſalute conſervanda. Attendite perpurgatis auribus quæſo: Communis enim eſt cauſa, commune periculum.

ACTIO I.

In qua ſumma Pſeudo-Galenicorum inconſiderantia in ſanguine effrænatè detrahendo exagitatur.

QUid primùm querar, aut undè potiſſimùm exordiar, ut Pſeudo-Galenicos in medica facultate minimè cautos apertius eſſe demonſtrem, quàm ab eorummet curandi ratione? Expendite quæſo, Auditores, methodum, quam iſti ſervant, acrique judicio remedia, quibus utuntur perpendite: videte num illis quid inſulſius, quid inutilius, quidque pernicioſius humano corpori dici, aut commemorari poſſit? Statim enim ac quis leviter incaleſcit, aut gravi afficitur morbo, nullâ neque morbi ideæ, neque ægrotantis naturæ, ætatis, vel habitus, neque regio-

nis, cælique ſtatus conditione ſervatâ, aliam non excogitant opem, quàm ſanguinem mittere, alvum purgare, & cuti veſicantia affigere. Hæc ſunt tria illa firma præſidia, quibus cuncta ſaluti inimica propulſare nituntur: hæc ſunt panchreſta medicamina, quibus ereptis, nullum aliud remedium corpori humano adjumento fore arbitrantur: hæc ſemper in promptu habent, ac ſi de narthecio promerent, haud circumſpicientes ſi laboranti conducant, ſive officiant, ſive cum ipſo cohæreant, ſive ab eo diſſentiant: Hæc denique cuivis febri adhibent, & quaſi mulieres fœtæ uterum ferentes, impotenter illa, qua data occaſione, ſubitò pariunt. Quod quàm cordatos viros æque ac imperitos graviter commoveat, quis eſt, qui non videt? nemini profectò incompertum hoc eſſe poteſt, ſi atris omnium Sapientum calculis, communique vulgi convitio rejiciatur. Quid enim ſtultius, quàm cæco quaſi impetu ſemper venæ ſectione in morbos irruere? Quid

ma-

magis deteſtabile, quàm purgandi libidine ad cathartica in omni ægritudine recurrere? Quid denique turpius & philoſopho indignius eſſe poteſt, quàm veſicantia in omni ferè febri temerè uſurpare?

Phlebotomandi Galeni methodum a Vſ. G. corrumpi, eosque perperàm pro Galeno niti, demonſtratur.

Verùm, Auditores, ſi ad hasce abirent ineptias, & temeraria fronte Galenum nominare non auderent, quanquam dolendum profectò videretur, ferri tamen æquo animo à nobis poſſet; at cum in medicina facienda eò proruperit horum audacia, ut quotidie eum teſtentur, & tanto defenſi patrono extra omnem aleam ſe tutos exiſtiment; hoc eſt, quod peraceſcit: hoc eſt, quod ægerrimè patimur. Perſpicite, Auditores, quomodo ad ægrotantes accerſiti, elatis ſuperciliis, & manibus barbam ſuſtinentes, veſtigia Galeni ſtudiosè ſibi premere vendicant: obſervate quomodo ne digitum quidem transverſum, aut unguem latum ab ejus methodo diſtare magnificè ſe jactant: omne, quod peragunt, Galenum ole-

re, ejusque doctrinam ſapere arbitrantur;ſed neſcio quà fronte ſibi proſequi arrogant, ſi libenter eum relinquant? quo ore ipſius doctrinam affectant, ſi iniquè deforment? Nego itaque fucatis hisce Medicis Galenicorum nomen eſſe concedendum; nego tales videri; nego tales dici oportere.

Quod ut planiùs cognoſcatis,à ſanguinis miſſione, quæ apud vos plurimum valet,ordiamur. Conferte, ſi lubet, eorum ineptam phlebotomandi rationem cum aureis Galeni præceptis circa ſanguinis miſſionem exaratis, & non tam ignem aquæ, lucem tenebris,bello pacem,quam illis hanc reperietis adverſam.Ex hac enim parte Galenus exclamat, magnum hoc remedium non tam frequenti in uſu eſſe habendum: illinc Pſeudo-Galenici quotidie venam exhauriri jubent: Hinc Galenus multa,antequam venæ ſectio fiat, ad trutinam revocat: illinc Pſeudo-Galenici inconſideratè & eveſtigiò ſanguinem mittunt: Hinc

Ga-

Galenus minimè facilem eſſe putat morbi cognitionem, cui ſanguinis miſſio conveniat: illinc Pſeudo-Galenici in quocunque quaſi morbo temerè ſanguinem educunt: Hinc Galenus plures cautiones in tempore præſtituendo diligenter expendit: illinc Pſeudo-Galenici, minimè hiſce cautelis perpenſis, quocunque tempore venam ſecare non dubitant: Quot & quanta hinc Galenus contraindicare ſanguinis miſſionem fatetur: nulla ex his illinc ab his phlebotomophilis penſiculatè trutinantur. Quæ tricæ! Qui nodi! Quæ ambages! Equidem citius ipſe ſperarem in Cretæ labyrintho exitum, in Gordio nodo caput, in Cimmeriis tenebris lucem, in Scyllæ aut Charybdis æſtu tranquillitatem, quàm eorum methodum & Galeni præcepta ad ullam concordiæ ſpeciem redigere.

Permittite hîc mihi, Viri Sapientiſſimi, ut generalioribus verbis omiſſis, ſpecialibus eos perſtringam. Dicite quæſo Pſeudo-Galenici, ut rite

re-

Indicantia Tolerantia, & Renuentia phlebotomiæ recenſentur, quæ omnia a Vſ.G. non ponderari, oſtenditur.

rectèque ſanguis educatur, non ne Galenus [a] virium robur expoſtulat, ne à detracto ſanguine corpus infirmius evadat? Et vos cur debilis febrientis in mortis vicinia, & prope rogum aliquando conſtituti, ne guttam quidem virium habentis, ſanguinem ad multas uncias extrahatis? Quorſum ipſe Hippocratem exponendo [b] dixit. „ Melius eſt virtutem non exſol„ vere, quam ſanguinem evacuare „ redundantem „ niſi quod minimè vena ſit aperienda, virtute imbecilla? Porrò non ne ipſe requirit [c] ut ægrotans ſit Juvenis, vel ſaltem id ſit ætatis, qua viribus valeat? Et vos cur corporibus ſenio confectis, quorum ſanguis juſtâ ſpirituum copiâ deſtituitur, immo teneris puerulis, quibus vires admodum labiles inſunt, parcere nolitis? Non eſt cur hîc cum Celſo [d] exclametis „ Intereſt enim, non quæ „ ætas ſit, neque quid in corpore intus

a XI. method. c.14. & 4. de rat.vict. comm.74.
b 4.de rat.vict. in acut. text.16. c XI.method. c.14. lib de curand. rat.per. ſang.miſſ. & Hippocrat.2. de rat.vict.in acut.text.16. d lib.2.cap.10.

„ tus geratur, ſed quæ vires ſint: Firmus puer, robuſtus ſenex, & gravida mulier valens tutò curantur. Nam tanti Viri auctoritas ſi integra & non mutila legatur, veſtram disturbat, proſternit opinionem. Quem igitur veſtrum non terret, non exanimat verba illa, quæ ſubjunxit: „ Maximè tamen in his Medicus imperitus falli poteſt, quia ferè minus roboris illis ætatibus ſubeſt, mulierique prægnanti poſt curationem quoque viribus opus eſt, non tantùm ad ſe, ſed etiam ad partum ſuſtinendum; non autem protinus faciendum eſt quidquid intentionem animi, aut prudentiam exigit. „ Nunquid ampliùs eſt ex uſu veſtro hic Celſi textus? nihil profectò ad vos attinet: in anguſtiſsimum cecidiſtis decipulum, jam capti eſtis. Præterea non ne ipſe [a] in vena exhaurienda expoſcit, ut aër ambiens ſit nec valde frigidus, nec impensè calidus, ſed bene temperatus? Et vos cur

a XI. Meth. med. c. 14. 4. de rat. vict. comm. 74.

cur ſumma hyeme, quando humores non ſunt ita mobiles; cur in adulta æſtate, ubi corpora præ calore diſſoluta jam ſunt, venam ſecare audeatis? Non ne denique ipſe tanquam præcipuum phlebotomiæ indicium [a] ſanguinis copiam admittit? Et vos cur gracilis, diuturnoque morbo extenuati corporis, cui potius nutrimenti materia addenda ſit, quàm detrahenda, ſanguinem fundatis? O ſeduli Galeni Imitatores! O Galenicæ ſectæ acerrimi Propugnatores!

Summa voce clamat ipſe, quoad vires valeant, morbum, in quo venæ ſectio ſit adminiſtranda [b] magnum debere eſſe; quòd Hylam clamat; etenim vos quotidie magis ac magis ad ipſius voces obſurdeſcentes, in quocunque levi morbo, levicula febri, venam inciditis. Deſudat ipſe in præclaro eo conſilio quadratis literis [c] exarando, quòd etſi morbus ſit magnus, etiam ſi plenitudo adſit, vi-

rium

a lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. cap. 20.
b lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. c. 14. 4. de rat. vict. comm. 29. c 4. de rat. vict. comm. 15.

riumque robur, ſanguinis miſſione tamen non ſemper eſt opus, ſed ſufficit frictionibus uti, & abſtinentiâ, quæ biduo, ad ſummum triduo plethoricam ſyndromen ad naturalem ſtatum revocare ſunt ſatis; quòd oleum & operam perdit; incõſiderantiæ enim vobis caligo ob oculos obtigit, ut id legere non valeatis, ſed feſtinanter & temerè naturæ theſaurum diſſipetis. Uncialibus verbis doceat [a] ſanguinem, ſectâ venâ, à corporis mole univerſa ad internas remigrare partes; quòd ſaxis verba facit; etenim ita veſtrum cuique comparata methodus eſt, ut, erumpentibus variolis, morbillis, petechiis, aut aliis exanthematibus, non modò ebullitionem non adjuvetis, ut ejus ope partes deſpumandæ accuratè poſſint ſecerni; verùm etiam ſanguinis miſſione id ſubducatis, quod cœptæ ſecretioni quaſi pabulum continenter ſuppeditari jam debet. Quare non mirum, ſi quotidie ad interna viſcera, palyndromiâ a vo-

[a] 9. de ſanit. tuend. cap. 10.

vobis peractâ, non ſine magnis ſymptomatibus, & eroſionis periculo materiam macularum virulentam præcipitare videamus. Clarè & apertè admoneat [a] in morbi initio ſanguinem eſſe evacuandum, antequàm corporis robur fatiſcat, vel calor febrilis gravior fiat; quòd ſurdis fabulam narrat; quippe vos, neſcio quo obſtinationis afflatu ſiderati, nihil omnino de morbi tempore cogitantes, in ipſius augumento & ſtatu, ubi omnia ſymptomata ſunt graviora, audacter venam ſecatis. Siccine igitur hæc documenta, quæ Galenus, acerrimi Vir judicii, de ſanguinis miſſione tam conſideratè ſcripſit, temerè aſpernamini? Siccine hæc monita, in quæ annotando non parum laboris tulit, inconſultè reiicitis?

Inani argumento vim prædictarum rationum ſubterfugere Vſ. G. nituntur.

Sed quid ego, Auditores, hanc prudentiam in ſanguinis miſſione adminiſtranda ab iis requiro, qui hæc monita & præcepta, vel nunquam legerunt, vel ſi legerunt, ignaviter ac tur-

a lib.4.aphor.text.10.

turpiter ſolent interpretari? Auſcultate, quàm inani perfugio ſe tuentur. Hæc omnia, inquiunt, quæ ad ſanguinem rite mittendum allata ſunt, conſideranda planè eſſent, ſi ad heminas & multas libras, uti Priſcis Medicis uſui erat extrahere, ſanguinem mitteremus: at quoniam modicâ menſurâ detrahimus, non eſt neceſſe tot ac tantas animadvertere cautiones, an vires conſtent: an morbus magnus: an æger juvenis ſit, & alia hujuſcemodi farinæ. O acutam profectò atque tempeſtivam interpretationem! O ſingularem explanationem! Vos, etſi ad paucas uncias ſanguinem evacuatis, cum non ſemel, ſed iterum, ac ſæpius id facere præcipitis, menſuram Antiquorum non ne ſuperatis? Vos ne Galeno ipſo plus ſapitis? Quorſum enim ille tot præcepta annotando, ut amicis obſequeretur [a], librum integrum de curandi ratione per ſanguinis miſſionem compoſuit, ſi à tam gravi onere, cui precibus coa-

ctus

a Luc. Anton Portio in Eraſiſtrato.

ctus ſuccubuit, facilè ſe eximere potuiſſet, ad illos hæc pauca verba ſcribendo? in omnibus, ſcilicet, morbis, nulla adhibita cautione, ſanguis modicè eſt detrahendus Milium igitur terebramus in tot ac tanta à Galeno animadverſa perquirendo: Eja expungamus tot cautiones: deleamus ex ejus operibus tot animadverſiones: Sed quid dixi? Maneant iſtæ, maneant, & dum hominum genus erit, manebunt: Vos autem, ò Pſeudo-Galenici perpetui Hippocraticæ Sectæ Transfugæ, è noſtro cœtu pellemus. Vos, ò adumbrata Scholæ Galenicæ Simulachra, è medicorum albo expungemus.

Quàm ſint Sinarum Medici in ſanguine mittendo cautiores, recenſetur.

Et, ut ex animo loquar, neſcio quomodo hoc dedecus noſtrarum Regionum conqueror, cum apud Iſaac Voſſium annotatum [a] inveniam, Sinarum Medicos in præſidio hoc adminiſtrando admodùm cautos eſſe, meliùsque fortaſſe hæc Galeni præcepta ab iis intelligi. Audite Pſeudo-Galenici, & veſtræ incogitantiæ vos pu-

[a] lib. variar. obſervat. cap. XIV.

pudeat. Hi, etſi à nobis tam longè ſunt diſſiti, minimèque perfecta medendi arte exculti barbaras colunt regiones, veruntamen in nullo quantumvis acuto, & periculoſo morbo venæ ſectione utuntur: quinimmo eam ægrotis obeſſe cenſent, & compeſcendum potiùs eſſe remediis frigidioribus sãguinem, quàm detrahendum, ſubtractioneque alimenti, ſi redundat, minuendum eſſe exiſtimant. Si olla nimium ferveat, ajunt, non effundendum eſſe juſculum, ſed auferendum ignem: ſi in vaſis vino plenis, detracto veteri, novum ſemper affundatur vinum, fieri deterius vinum. En quibus perſuaſi rationibus tricas, in quas quotidiè inciditis, abſurda, in quæ facilè incurritis, effugere & evitare nituntur. O vos felices Sinarum Populi (nequeo me hîc continere, quin iſtis gratuler) O vos felices, qui ſingulari præditos prudentia ſortiti eſtis Medicos;[a] cum duplici enim hoſte vos dimicare non oportet, uti nos Europæi,

[a] Poterius lib. 1. de febr. cap. 1.

quibus non ſolùm, aperto Marte, cum communi hoſte, morbo videlicet, ſed etiam cum hiſce hæmophilis, ſanguinem noſtrum omni levicula de causa effundētibus, pugnare neceſſe eſt: Vos morbi tantùm laqueos, qui cum ſint ab apertiſſimo hoſte parati, facilè cavere poſſitis; nos non modò morbi, verùm etiam horum experimur inſidias, quibus, cum ſint occultiores, & ab iis muneris causâ inſtructæ, nullatenus reſiſtere valeamus; quinimmo nos necant, nos opprimunt, priuſquam eas perſpicere ac explorare poſſimus: Vos denique, quia conjunctis viribus contra vim morbi contenditis, nullo negotio ab ipſo victoriam reportatis; nos cum diſtracta & diſſipata virtute pugnemus, morbo ſuccumbere miſerè cogamur.

Galeni textu Cælum pſ. G. digito putant attingere; ſed inaniter eo ſibi blandiri, variis argumentis, elucescit.

Sed magnum hîc, Auditores, mihi videor Pſeudo-Galenicorum clamorem audire, & tumultuoſis vocibus undique, certatimque ab iis oppugnari. Nos Pſeudo-Galenici! Nos integerrimi Galeni ſententiæ exploratores! Nos

Nos acerrimi Galenicæ doctrinæ propugnatores! Nos igitur Pſeudo-Galenicos appellare non dubitas? Perlege undecimum Galeni librum de methodo medendi [a] & ibi inter cæteras auream illam invenies ſententiam „Saluberrimum eſt in febribus „venam incidere, non continenti„bus modò, verum etiam aliis omni„bus, quas putreſcens humor exci„tat„ Et te pudebit, nos tanquam Galeni deſertores abſque cauſa redarguiſſe.

Sic mihi, Auditores, inconditis clamoribus temeritatem opprobrant Adverſarii: ſic ſibi ea Galeni auctoritate aſſentantur: ſed fruſtrà omnino in me invehunt; fruſtrà ſe illâ ſententiâ tuentur. Non eſt, ut credunt, hic Galeni textus munitiſſima illa atque inexpugnabilis Arx, qua tutos à noſtris rationum telis ſe reddunt; ſed inane perfugium ſtupeis propugnaculis obvallatum: Non eſt igniaria miſſilis olla, ut dicunt, qua omnia demoliri exiſtimant,

B 2 ſed

a XI. meth. med cap. 15.

ſed ex papyro involucrum nitrato fartum pulvere, quod magno quidem fragore ac ſtrepitu disrūpitur, ſed innoxio disſilit ictu, nihilque præter auras diverberat. Diſploditur profectò, non nego, à veſtris follicantibus buccis, Pſeudo-Galenici, hoc ſaluberrimum; ſed quid proſternit? aures duntaxat crepitante ſonitu, & non animos audientum cōmovet; quinimmo, dum in medium hoc affertis, tantùm abeſt, ut veros vos eſſe Galeni aſſeclas perſuadeat, atque ſtabiliat, ut potius Pſeudo-Galenicos eſſe corroboret, atque confirmet. Atque hæc, quæ dicam, ne vana videantur, legite, quæſo, totum textum, & mentiar, ſi nihil aliud vult ex ipſo Galenus, niſi ut ſanguinis miſſio ab ætate valida, virium robore, habituque plethorico, & non à febri indicetur. Luſtrate oculis codicem, & illa verba ponderate „ Ubi
„ præſertim nec ætas, nec vires pro-
„ hibent; levata enim, quæ corpus
„ noſtrum regit natura, exonerataque
„ eo, quo veluti ſarcina premitur,

haud

„ haud ægre, quod reliquum eſt, vin-
„ cet. Videndum igitur, videndum eſt, ut cautè fiat ſanguinis detractio, an vires & ætas ipſam ſufferre valeant, an hæc ſarcina, quæ premit, re vera adſit, & non febris duntaxat ponderanda; eò enim hæc allata Galeni ſententia pertinet, ut non febris, ſed ætas, viresque ægrotantis penſitentur; quæ quidem ſi in præſens ſint, vel in poſterum fuerint conſiſtentes, remedium permittunt: ſin contra vel præſenti, vel poſteriori tempore non videntur poſſe conſiſtere, remedium omnino prohibent.

Verùm demus, vires, & ætatem non prohibere: faciamus id eſſe: Quod premens igitur, quæ ſarcina in corporibus febri correptis inveniri poteſt? Docete, obſecro, me Sapientes Magiſtri (juvat enim aliquando à tam Artis Medicæ expertiſſimis Viris aliquid diſcere) quid eſt hoc, quod in febribus gravat? dicite quæſo.

Plethora ne quoad vaſa dicta, in qua

Plethoram ad vaſa nō dari, probatur.

ſanguis ita abundans eſt, ut vaſcula, quibus continetur, mole ſua diſtendat, & apoplexias, venarum diſruptiones, nec non tumores minetur? Toto cælo erratis; quonam enim corpus tanto ſanguine affluens invenitur, ut ſuffocari videatur? Quonam athleticè valent homines, qui ob immodicam venarum repletionem in vitæ periculum incurrunt? Poëtarum fabellæ profectò hæc ſunt: Omnes quidem homines, hac præcipuè regione & tempeſtate, vel valetudine haud ſatis firma fruuntur, laxam ventriculi obtinent texturam, curis pleni atque negotiis tranſeunt vitam, alimentis non euchymis, ſed parùm nutrientibus utuntur; vel commeſſationibus ac vino ſunt dediti, & otio languentes, gulæ illecebris inſerviunt. Quomodo igitur in primis, tot corporis, animique moleſtiis diſtentis; in ſecundis, nimia cibi ingurgitatione, tam optimus & in maxima copia ſanguis redundare valeat? Commentitia itaque eſt ad vaſa plethora, & vix

Ani-

Anicularum lucubratione digna. At concedamus eam inveniri: Nónne ſanguis, cùm æger febri corripitur, æſtu conflagrante, tenuior fit, faciliùs à calore reſolvitur, & in auras inſenſibiles abit? Nónne inediâ, tenui ægrotantium victu, appetitu eorum dejecto, fermentis viſcerum minimè ad concoquendum aptis, venæ conflacceſcunt, & ſi quæ eſſet, [a] depleretur plethora?

Peccet, uti velitis, peccet in febribus ſanguis in quanto: quid cauſæ eſt, cur ipſum extrahatis? vel eſt optimæ conditionis, vel pravæ: Si optimæ; mirabimur; cum hic potiùs detinendus ſit, & non inutiliter profundēdus: Si pravæ; ridebimus; cum vitium ampliùs non ſit in quanto, ſed in quali, quod ſanguinis miſſione multò auctius evadit. „Quò plus eſt vitioſi „ſanguinis in venis, (præclarè Galenus [b] ait) & minus boni, eò minus eſt detrahendum. Concedam ſanguinem in febribus redunda-

 re:

a Helmont. lib. de febrib. cap. 4. b lib. 4. de ſanit. tuend.

re:at cur eum inediâ,vel victu tenujore ægrotantibus tam congruo,& tuto remedio non diminuatis, ſed phlebotomiam, anceps tam medicamen, ſemper imperetis? Prô cauta methodus, omnium ſermonibus, ſcriptisque exornanda!

Plethora quoad vires,ut Imaginaria, rejicitur.

An eſt, quod gravat, plethora quoad vires, in qua nempe ſanguis, mole ſua,licet non ſit moleſtus,tamen cum vires longè ſuperet,detrahi onus oportet, ut *iſtæ* alacriores evadant,& natura,ſarcinâ detractâ,faciliùs quod morbificum eſt, vincat & expellat? Et cui rerum ita imperito hoc perſuadebitis, ſi hæc imaginaria eſt, & nunquam, ut Clariſſimus ait Wallæus, in praxi invenitur, niſi cum illa quoad vaſa conjuncta:immo verò ſanguinem vires opprimere, dictu perridiculum profectò eſt.Hoc,mihi jam credite,ne aniculæ quidem affirmant. Quis unquam vires à ſanguine infirmari exiſtimat,ſi corporis vigor,balſamumque vitale in ſanguine, & ſpiritibus conſiſtit? Quin ſunt hæc correlativa,[a] ubi ſan-

a Helm.lib. de febrib. c 4.

ſanguis, ibi vires; quamobrem, niſi fortè ipſas vires viribus vitalibus graves eſſe dicere velitis, nec plethoram quoad vires inveniri in ægrotantibus aſſerere unquam poteritis.

Putredo in febrientiū ſanguine non datur, ſique daretur, per ſanguinis miſſionem non tollitur

Quodnam igitur eſt hoc, quod febricitantium naturam premit? Num Putredo? O Tyronum imperitiam! quomodo ſanguis totus poteſt eſſe corruptus, & animal vivere? Quid? ſi totus corruptus eſt, non ampliùs eſt ſanguis: deſinit enim eſſe talis, cùm à naturali ſtatu deflectere incipit: Si totus putridus non eſt; quis pro vobis ſpondet, venæ ſectione putrem tantùm partem, & non bonam extrahi? Nec profectò Philoſophi eſt aſſerere, vi magnetica Chirurgi lanceolam præditam eſſe, ut duntaxat corruptam, & non alias trahat particulas. Porrò qua arte à vobis aſſequi poteſt cognitio partis, & venæ, ex qua tali excremento putrido ſe evacuari velit natura, ſi cum ſanguine per totum corpus permiſtum jam circulat? Noſcatur pars: eligatur vena: demus

hoc:

hoc: cur, ut unciam unam putridi humoris cum ſanguine permiſti deducatis, libram unam ſanguinis optimi, apertâ venâ, evacuare lubeſcat? At quid? nónne portio illa ſanguinis, quæ foramine foras effertur, omnium optima eſt, cum non ſit illa, quæ è centro circumferentiam verſus profluit, in qua præcipuè morbifica inhæret cauſa; ſed illa, quæ à corporis ambitu verſus centrum regreditur, & ob varias in viſceribus, per quæ tranſiit, ſecretiones peractas, à ſordibus defæcata? Nónne ſanguine puro, ex inciſa vena exhauſto, ob agitationem magis augetur putredo, & pernicioſi excitantur halitus, qui majori copia in interiores partes rapi, febrimque magnoperè fovere poſſint, quemadmodum præclarâ illâ ſententiâ teſtatur [a] Galenus „Quip„pe incisâ venâ bonum ſanguinem „emittit, malum verò, qui in primis „maximè venis circa jecur, & quod „meſenterium vocant, colligitur, in

co-

a. lib. 2. de humor. c. 15.

„ totum attrahit corpus? Nónne denique per exile venæ foramen craſſæ, putridæque partes præterfluere nequeunt, bene verò ſubtiliores ac ſpirituoſæ, magis utiles, & neceſsariæ ad vires ægrotantium ſuſtentandas? Nolo hîc commemorando renovare id, quod multi jurè ac meritò affirmant, quòd hæc putredo in venis ſit tantum cruoris turbatio; etenim ex hoc non ſolùm putredinis nomen funditus tolli, verùm etiam ſanguinis miſſionis memoriam deleri arbitror oportere; cum ad illam profligandam non turbati cruoris indicetur exhauſtio, ſed turbatoris effectus ablatio.
„ Si accidens in ſanguine eſt, remo-
„ ve accidens, & ſubſiſtere permitte
„ ipſum ſanguinem intactum „ bre-
„ viter & cogitatè ſcripſit [a] Para-
„ celſus. „ Si muſca aut aranea in-
„ cideret in vitro vino puro plenum,
„ quis adeò demens eſſet (non inju-
„ rià exclamat [b] Helmontius) qui
„ relictà muſcâ aut araneâ in vaſcu-

lo

a p.1.p.1033. b de febrib. cap.4.

„ lo vinum effunderet, aut ſimul muſcam cum vino ejiceret? an non „ convenientiùs intacto vino ſolam „ muſcam aut araneam, quæ vinum „ conſpurcavit, ex vaſculo extermi- „ nare, quàm unà cum vino muſcam effundere? Hæc omnia miſſa facio, & ſi mihi maximo argumento ad veſtram incogitantiam detegendam poterant eſſe: Unum illud dico, ſi propter tollendam putredinem, ſanguinem educatis, ut putredo tollatur, eum mittere non debetis, ſed per alia remedia putridæ partis eductionem tentare: decumanus ille meo judicio ſuffragatur Galeni [a] locus „ Vacuationem putredinis molie- „ mur per urinam, dejectiones, vo- „ mitum, & ſudores. Si auctoritate Galeni freti, ut putredinem evacuatis, venam incidatis, allucinamini; Ecquid enim planius atque apertius ſcriptum ipſemet Galenus nobis reliquit [b] quàm id „ Putredinem, & „ Obſtructionem non tolli per ſangui-

gui-

[a] meth. medend. [b] XI. meth. med. c. 41.

„ guinis miſſionem? Ecquid clarius „ ac manifeſtius illo [a] textu „ In „ morbis maximè eſt periculoſa eva„ cuatio, veluti ſi ea fortè incidit ex „ corruptela humorum?

Númne onus, quod premit maligna eſt qualitas? ſed quid ad hanc ex humoribus abſcindendam phlebotomiâ uti oporteat? vel enim hæc eſt intra venas, vel extra: Si intra venas; quæro, tunicæ ne earum adhæret, an in ſanguine fluctuat; ſi tunicis affixa, inutilis eſt ſãguinis miſſio; quò magis enim ſanguis detrahitur, eò magis maligna febris cauſa adoleſcit, quin maximè redditur nocua; quippe aufertur ſanguis, qui illam eluere & diſſolvere poteſt: Si in venis fluctuat, & per totã ſanguinis maſſam diſperſa, quantamlibet minuitis, nihil proderit; quoniam quod remanet eodem modo ad vires debilitatas, ac totus ſanguis ad vires integras ſe habet: Sin autem extra venas eſt, ad quid ſanguinis miſſio? Nónne ea

Malignitas humorum venæ ſectione non corrigitur, immo augetur.

ex-

a. 9. meth. med. c. 10.

exhauritur è venis humor vitalis, ac neceſſarius, derelicto noxio & impuro extra ipſas, qui facillimè rapi intra eas poteſt, & labe ſua latiùs diffuſa, vitæ flammulam extinguere valet. Præterea nemo, niſi bardis ac aſinis ſtupidior, illius venam jubet aperire, qui vel venenum obbibit, vel demorſus viperâ fuit, & non alexipharmacis venenum retundit, aut per affectum locum attrahere omni arte & induſtria conatur? Quid porrò ſanguinis miſſioni alexiterii ineſt? quid antidoti? Quæ vis? quæ virtus venenum intus latitans ex aperta vena extrahere potis eſt? Equidem tantùm abeſt, ut illa virulentam labẽ ad corporis ſuperficiem deducat, & per locum inciſum evacuet, quin potiùs magis in viſcera interna impingat? Illud, illud autem eſt exhibendum, quod peculiari proprietate venenis reſiſtat: illud præſcribendum, quod cor vegetet ac roboret: illud aſſumendum præcipere, quod alexiterium ſit, quod vim illam veneno-

noſam infringere, ac retundere valeat. Cæterum quis tam indoctus, ignarusque rerum eſt, qui in hujusmodi febribus naturæ conatus, ad expellendum à centro ad corporis ſuperficiem venenum, non animadvertat? Tot ſudores criticos, tot tumores, tot cutaneas excretiones, quis non agnoſcat? Nunc ſcitor à vobis, ſi quis hujusmodi naturæ motus medicamine aliquo topico perverteret, ſudores nempe remediis incraſſantibus, tumores repellentibus, eruptiones cutaneas refrigerantibus retardaret, num graviter delinquere cenſendus eſſet? O Deus immortalis! Ecquod remedium magis ſudorem imminuit, quàm phlebotomia, ſpiritibus diſſipatis, cutis poros neceſſariò coarctans? Ecquod tumores magis repercutit, quàm ſectio venæ, ſanguinem in partem influentem detrahens? Ecquod cutaneas maculas magis retardat, quàm ſanguinis miſſio, fermentationem ipſius, æſtuationemque diminuens? Fateri igitur opor-

oportet, ni velitis deſipere, in hujuſmodi febribus ſanguinem mittere, grave eſſe piaculum.

Quanam ſit Galeni mens ſuper textu XI. methodi allato apertiùs, proſopopeia, explicatur.

At ego non patiar, Auditores, iſtos diutius allucinari. Veniat huc in medium Claudius Galenus (neceſſe omnino eſt, ne amplius hi obſtrepant, ipſum ab Inferis advocare) veniat, & ea de ſententia XI. methodi literis tradita, quid propriè ſentiat, audire ſanè velimus. Te nunc, ò Claudi, eximium Artis Medicæ decus, & Antiquæ Medicinæ Parens, te, inquam, appello, abs te nunc quæro, cur tam liberis & animoſis verbis ſanguinis miſſionem laudes, cùm tot alibi in ipſa adminiſtranda cautiones, conditionesque apponis? Exprome, quid ſentis? fac ut mentem tuam perſpicuè intelligamus, ut ne ampliùs hi tui Sectatores: Quid Sectatores! nollem dictum; ut ne ampliùs, dicere vellem, hi tui deſertores, oppugnatores hoc ſaluberrimo effato ſanguinem mittant. Diligenter, Auditores, quid Galenus dicat, attendite. Agnoſco equidem, ait,

ait, me XI. methodi libro in ſanguinis miſſione præſcribenda fidenti admodum ore eſſe loquutum; at non peccavi, non deliqui; quoniam timens ne ex generali ſic pronunciato rudibus daretur occaſio errandi, ſtatim, quàm maximè potui, me correxi, & ea pauca (præter gravamen, quo exonerari debet natura) ſubjunxi „ Si nec Ætas, nec Vires prohibent. Verùm enim verò ita ſit, ut dicitis, me hoc loco indiſcriminatim ſanguinis miſſionem laudaſſe; cur ex Apollinis Pythii quaſi oraculo, quod, captandæ gloriæ deſiderio, fervoreq; quodam docendi, à me prolatũ fuit cõtra Eraſiſtratæos, dictum putetis, & non acri atque limato judicio id expendatis? Adeóne veſtrum devinxi animum hiſce meis verbis, neſcio quo pacto ex ore defluxis, ut ſemper ea in promptu habeatis, & non tot alias meas ſententias maximè perſpicuas, iis è regione apertiſſimè pugnantes? Ut quid igitur tot monita libro de venæ ſectione adverſus Eraſiſtratæos annotata non le-

gitis, ubi phlebotomiæ uſum tot cautionibus ita reſtrinxi, ut ea ferme nusquam fieri poſſit? An creditis meas non eſſe animadverſiones? Meæ ſunt; immo purgato ingenio factæ, cùm in ſera, ſapientioriq; ætate, inter experimenta conſumpta, fuerint à me literis commiſſæ. Ut quid libros de Arte curativa ad Glaùconem non evolvitis, non excutitis? quoties in iis increpo, tam celeriter non eſſe venam ſecandam, ſed multa, priusquam ea incidatur, ut trutinentur ſuadeo: quoties in iis non ſic prodigè ſanguinem, ſed modicè, quinimmo intra modum mittere hortor: quibus à me editis libris major eſt fides adhibenda, quàm cæteris; cùm non modò in iis experta prodidi, & uſu cognita, ſed eos erudito Platonicæ Sectæ Philoſopho inſcripſi, apud quem dedecebat dialecticè, ut in methodo diſſerueram, diſputationes abſolvere; ſed operæpretium erat, ut omnium ægritudinum curationes ad compendium, de quo tam ipſe me percontabatur, cùm gra-

viori

viori ſermone roboratum, tùm obſervationum longa ſerie firmatum, conferrem. Hi igitur mei textus infixi hæreant mente, in ore ſemper vigeant veſtro: Hi libri non oſcitanter legendi, non carptim libandi, diu noctuq; à vobis pervolutantur oportet, & ſi fieri poteſt, occurrent in ſomnis, ni meas querimonias, expoſtulationesq; quibus mea tempeſtate quorundam Medicorum impudentiam in morborum principiis ſanguinem evacuandi inſectabar, audire nolitis.

An hoc quicquam, Pſeudo Galenici, potuiſtis ex Galeno clarius audire? Ecquid reperitis ex tam longa Galeni oratione, cui vos reſpondere poſſe confiditis? Adhuc ne muſſitatis? Adhuc ne hiſcere audetis? Prô ſupreme Deus! ubinam gentium ſumus! in qua Urbe vivimus! Siccine igitur tam audaces, tam præfracti eſtis, ut, etſi multis teſtibus evicti, os veſtrum non modò oſtendatis, ſed etiam offeratis? Siccine igitur phlebotomandi libidine perciti contra ipſummet Galenum

dicere nõ dubitatis? Inſaniiſtis profectò, Pſeudo-Galenici, inſaniiſtis; nec ad veſtram dementiam purgandam Anticyræ helleborum ſatis eſt.

Effrenatè ſanguinem mittere non modò ab Antiquis, ſed à Recentibus quoque Medicis vituperatur.

Sed par eſt, Auditores, ut ad horum improbam perverſitatem, intolerabilemque impudentiam in ſanguine mittendo coërcendam, hæc Galeni, & alia permulta omittam, & ad alia cùm Veterum, tum Recentium Auctorum veniam, ne in tanta rerum ubertate, & profluentia, ſiccus atque aridus videar. Sed quid? Animus enim præſagit, fruſtrà me in ea adducenda elaborare; ſi enim Galenus ipſe efficere non potuit, ut iſti ſuam deponant errata; nihil cujusquam proficiet, nec valebit Auctoritas. Eja age, periclitari hoc velim; fortaſſe eorum inflectam animum, &, ut mihi herbam porrigant, efficiam. Quis nanque, quis Veterum, ut ab iſtis incipiam, tam crebrò & immodicè ſanguinis miſſionem ſuaſere? Quæ neceſſitas, quæ ratio eos, dicite quæſo Pſeudo-Galenici, vitale ſic balſamum ef-

effundere coëgit. Libros eorum perlegite, pervolvite, perluſtrate, & ſi inter ipſos unum inveneritis, qui in curandis morbis adeo frequenter, & copiosè, uti vos quotidie præſcribitis, ſanguinem mittere jubet, diſpeream. Frequentiſſimè ſanè reperietis Anginas, Peripneumonias, Pleuritides, febres quascunq; ſedulò deſcriptas, curationesq; ſimilium morborum magna cum diligentia traditas, remedia, quibus utebantur, ſtudiosè enarrata, ſed nunquam ab iis recenſitam inter tot & tanta venæ ſectionem invenietis; & ſi fortè aliquando eam memorent, cogitatè & rarò, ſi diligenter conſideretis, ad eam confugiant. Sed hoc quanquam firmum eſſe video, tamen ipſe mihi ſatisfacere non poſſum, ſi Veterum paucos non enumero, qui, licet præſtantiſſimi Practici, & multo uſu excellentiſſimi Viri, rarò vel nunquam in morbis venæ ſectionem laudarunt. En [a] Eraſiſtratus, limati Vir judicii, ſanguinis miſ-

[a] Luc. Ant. Portio in Eraſiſtrato.

ſione nunquam eſt uſus, nedum in febribus ſed nec etiam in cæteris morbis. En Cryſippus Siculus, inſignis ſui temporis Anatomicus, animique affectuum, eorumque medelæ Vetuſtiſſimus Scriptor, venæ ſectionem mordicus damnat. En duo Aſclepiadæ; Vetuſtior unus in curandis morbis nil de venæ ſectione memoratu dignum habuit; Recentior alter pleuriticos dixiſſe fertur, Athenis & Romæ ſub phlebotomo extinctos jam eſſe; in Helleſponto autem, & Pario aliquantulùm relevatos. En Hippocrates in Epidemiorum libris, in quibus infinitæ quaſi ægrotantium curationes deſcribit, ſemel tantùm, aut bis ſanguinis miſſionem profuiſſe meminit; & an ea iis ægrotantibus ſubſidio re vera fuerit, in cõjectura adhuc poſitum eſt. Et ne longior ſim, en ex Recentioribus Johannes Baptiſta Van-Helmont, Cornelius Bontekoë, Johannes Baptiſta Vulpinus ſanguinis miſſionis imperterriti hoſtes. Sed quid alienos quærimus, ſi in hac Ur-
be

be Celeberrimi Medici à venæ ſectione alieniſſimi floruere? En Thomas Cornelio, Sebaſtianus Bartoli, Leonardus à Capua, Thomas Donzelli, ſingulari eruditione, multaque experientia Clariſſimi Viri, ſemper in morbis ſanguinem mittere nocuum eſſe exclamarunt. Et hac tempeſtate nónne Præſtantiſſimi Practici, & omni laude digniſſimi Viri, Lucas Tozzi, Lucas Antonius Portio, Anellus à Neapoli, Joſeph Severini, Johannes Baptiſta Guarnerius, Martius Vallo, Blaſius à Puteo, Felix Stocchetti, Nicolaus Cyrillo, & alii non infimæ ſpei Juvenes, quocunque morbo venæ ſectionem exagitant? Quid ergo eſt, quòd tam cauti in ſanguine mittendo hi ſint? Quid eſt cauſæ, cur phlebotomiæ abuſum exprobent? num deeſt his ingenium, num libri, unde leges, & præcepta ſanguinem mittendi deſumere valeant, num occaſio, qua phlebotomare poſſint? Videntur ne vobis hæc proferenda? nullo quidem pacto; ſi

ingenii acumine florent, integras, locupletesque ſibi conſtruxere Bibliothecas; ægrotique penè omnes in eorum fidem, ac clientelam ſe conferunt. Cur, quæſo, hoc remedium in praxi dimittunt, vel tam raró eo utuntur? Alia profectò afferri ratio non poteſt, quàm quòd animadvertunt, ſi tam prodigè ſanguinis jacturam facerent, maximum imminere vitæ ægrotantium periculum. Si igitur hi multis nominibus Ornatiſſimi Viri, omnibusque ingenuis artibus perpoliti, ſic de hoc remedio decernunt; cur Vos ſcientiarum Errones, primoribus labris penè bonas artes attingentes, , ſic cunctis ferè languentibus ſanguinis miſſionem præcipere, iterare & reiterare pertinaciter audeatis? Quam igitur nequeunt Artis Medicæ Anteſignani vim facere, Vos gregarii milites, tam facilè inſtituere poſſe arbitremini? O Temeritatem non ferendam! O Audaciam inauditam!

Cùm igitur, Auditores Plæclariſſimi,

mi, ſic in ſanguine mittendo hi præpoſterè delinquant, & nihil plus ſapientiæ habent, quàm lapis; Quid, obſecro, ab iis emolumenti, quid commodi expectatis? nihil omnino, quin damnum atque maximum exitium. *Quanto hic Abuſus corpori humano ſit detrimento demonſtratur.*

„ Siquidem in ſanguinis miſſione
„ (adamusſim meæ ſententiæ con-
„ gruit [a] Galenus) non parvum me-
„ ritò ſubſequetur incommodum,
„ niſi opportuno tempore, aut debi-
„ tâ menſurâ fiat. Duos nanque in
„ ipſis Medicorum manibus perire
„ vidi, qui poſtquam animo linque-
„ rentur, nunquam revixerunt. Mul-
„ ti verò etſi non protinus, at poſtea
„ propter virtutis infirmitatem pe-
„ rierunt. Quos ſi quis citra ejus
„ reſolutionem vacuaſſet, minimè
„ periiſſent. Quinetiam aliqui in
„ morbos inciderunt longos, poſt-
„ quam immodica inanitione reſo-
„ luta naturalis vis fuit. O utinam
hæc damna, quæ ex nimia hujus remedii frequentia ſua tempeſtate enume-

a lib. 9. meth. med. c. X.

meravit Galenus, hac noſtra etiam ætate ſemel contingere videremus: quæ utiq;veſtrum nemini,ut arbitror, incomperta eſſe poſſunt, ſi dies noctesque tota Urbs, ob Civium vitam ab iis tam crebra ſanguinis miſſione, vel miſerè ereptam, vel in eas conjectam ægritudines, ut amplius medicinæ faciendæ locus non ſit, ploratibus perſonat. Cernite, Auditores;ſed quibus oculis? non niſi pro rei indignatione, lugubrique ſpectaculo humeſcentibus: Cernite, inquam, hîc quot innumeros febricitantes infeliciter jugulatos, in quorum cadaveribus, ne quidem minima ſanguinis gutta fuit inventa. Aſpicite illic tot hydrope ſenſim contabeſcentes, tot Cachexiâ detentos, Paralyſi affectos, Dyſpnœâ correptos: En hîc obſtructorum turba, ventriculique imbecillium nobis ſe offert; illic longum arthriticorum agmen occurrit: Querimonias hîc audite multorum, qui crebra venæ ſectione ad febres aptiores ſunt redditi;illic eorum auſcultate

te queſtus, qui reſoluta naturali vi ob ſanguinem miſſum, ex ſimplicibus in duplicatas, triplicatasque incidere febres. Plures igitur hic abuſus ſuſtulit, quam ferrum; plures occidit ipſe, quam gula; plures perdidit ipſe, quam Siculorum Tyrannorum ſupplicia; plures .... ſed quid plura? Si enim omnes hîc enumerare, non dicam recenſere velim, quos phlebotomiæ abuſus morti miſerè tradidit, quos in extremum adduxit diſcrimen, quos in miſerrimum ſtatum impulit, me citiùs dies, quam oratio, vox, quam verbum, latus, quam res dicentem deficeret. Dixi.

ACTIO II.

In qua extrema Pſeudo-Galenicorum Impudentia, in catharticis temerè præſcribendis, improbatur.

VEſtrum omnium ora, Auditores Ornatiſſimi, in me hodierna die eſſe converſa perſpicio: quo deſiderio, diuturna mora, æſtuatis non ignoro: qua tenemini expectatione clarè in veſtris oculis, veluti in ſpeculo quodam, deprehendo; mirum enim in modum, me, ut de catharſis abuſu dicam, ſpectatis. Quo nihil mihi profectò hoc ſuggeſtum aſcenſo optabilius cadere potuit: diu multùmque enim, antequam huc aſcenderem, mecum quæſivi, an catharſis, uti ſum pollicitus initio, an reliquos phlebotomiæ abuſus, quos præ tẽporis anguſtia præterita actione

ne reliqui, inſectarer, & huc, illuc meus inclinabat jam animus. Nunc autem in veſtram partem me dem oportet, cùm meam nutantem orationem ea, quæ in veſtro vultu tam affulget cupiditas, ad ſe ſe rapere videatur, & non niſi de extrema Pſeudo-Galenicorum impudentia in purgantibus temerè adminiſtrandis, me dicere patiatur. Quare ſupervacaneum eſſe judico petere à vobis, ut me attentè audiatis, ſed hanc duntaxat veniam mihi detis expoſco, ut avertam à vobis orationem, atque ita hoc loco diſſeram, quaſi Pſeudo-Galenici tantùm adeſſent: & ne diutius vos detineam, etiam atque etiam rogo, ut cum iis denuo in arenam deſcendam, & collato pede præliar, ſinatis.

Per veſtrum decus, ac fidem, Medici Catharticophili (vos quippe jam appello medicaminum purgantium amatores) dicite quosnam, quo tempore, & quibus in morbis ex Hippocratis, Galenique præceptis purgare

licet

licet? recenſete indicantia, tribuite in digitos permittentia, reclamantia cuncta evolvite: Quid torpetis? quid lentam refricatis memoriam? ánne hæc unquam didiciſtis, vel è veſtro effluxerunt jam animo? at hodie facilem me præbeam, & adeo moroſum eſſe nolim, ut vos Hippocratis, Galenique libros conſulere non patiar: Eja, opera eorum aperite, & ſingulos libros pervolvite, qui profectò hæc omnia in veſtram revocabunt memoriam; equidem invenietis à Galeno [a] literis proditum, Cacochymiam primũ & proprium catharſis indicium, minus proprium & ſecundum, morbi Magnitudinẽ eſſe. Agè nunc, ad calculos revocamus, ſi hæc, dum alvum catharticis ciere velitis, à vobis expendantur. Sed heu quot veſtræ allucinationes hîc mihi ob oculos verſantur. Intueor vos primò penitus, quid hæc vox Cacochymiæ ſonet, non bene intelligere, ſi quotidie ea corpora, quæ utilibus potiùs, quàm

Indicantia Catharſis recẽſentur.

pra-

a 1. aphoriſm. comm. 2.

pravis ſuccis ſcatent, purgante cum medicamento evacuare non dubitatis? Nemo quidem profectò eſt, etſi medicæ artis rudis, & tyro, qui, inoffenſa valetudine fruentes, cacochymos eſſe fateatur; quippe qui, ſi noxios humores in ſe collectos haberēt, actionem quampiam in iis lædi oporteret: at ſi actio quæpiam illæſa manet, utpotè inculpata ſanitate fruuntur; quorſum cacochymi ii vocandi? quorſum cathartici vi irritante optimi humores pro pravis, utiles pro inutilibus expellendi? Itaque minimè mirum eſt, ſi corpora firmiora ſtatim cathartico aſſumpto fatiſci obſervamus. Quid fatiſci? Levior ſanè noxa eſt virium jactura præ aliis, quæ iis quotidiè à purgantibus contingunt: Candidè, obſecro, fateamini, quot incolumes in ventris tormina, in pertinaces vomitus, dejectionesque ob præpoſterum purgantis uſum incidiſſe, conqueruntur? Quot ſani à catharticis pravum corporis habitum, extremam maciem, ciborum faſti-

Pſ.Gal., in corporibus ſanis cathartica pręſcribendo, a methodo eſſe alieniſſimos apertè detegitur.

dium

dium ſibi eveniſſe, queribundi exclamant? Quot diu lacrymant, ut morbos caverent, in eos ſtudiosè incurriſse; quia à pyxide, capſulaque Pharmacopolarum pependerunt? Quot denique graviùs lugent, ut ſanitatem conſervarent, eam potiùs amiſiſse, vel decocto alternis diebus aſſumpto, vel pilulis dejectoriis ſingulis ferè hebdomadis deglutitis? Quis enim eſt veſtrum, ut non in lacrymas, horum ejulationibus audiendis, ſolutus totus fluat, ficatque? In tot malis, quis non miſereſcat? Nemo quidem, niſi ex arido pumice oculos, aut ex duro chalybe præcordia à natura obtinuit.

Porrò nónne ex Hippocrate, tanquã ex Delphico Tripode [a] prolatum „ eſt: Qui ſanitate corporis fruuntur „ medicamenta purgantia aſſumen- „ tes ſtatim debilitantur „ & „ Qui „ corpore valent difficulter ferunt „ medicationes. Cur igitur immemores horum eſtote, ſi cuique hæc

Se-

[a] lib. 2. aphoriſm. 36. & 37.

Senis effata obvia, & in vulgus pervulgata jam ſunt? O miram memoriam! Itáne citò vobis excidit Hippocrates ille Æſculapii Succeſſor, qui tam fallere, quàm [a] falli neſcit? Ille Medicinæ [b] Princeps, arte & [c] facundiâ inſignis? Ille denique omnium [d] bonarum artium Auctor, omnium Philoſophorum primus?

Pſ.G. Reſponſum referunt, & improbatur.

Nec ad tuendum hunc errorem ſatis eſt, quod mihi veſtrum aliquis objicit. Sana corpora, etſi firma valetudine utuntur, ob varia excrementa, quæ in ea quotidie congeruntur, neceſſariò expurgari indigent. Equidem fateor excrementa, quæ ſingulis diebus in corpore coacervantur, vel ab Arte, vel à Natura eſſe expurganda, ſi modò integram ſanitatem tueri velimus: Verum id eſſe non renuo, non inficior; quin potius lubens concedo, & ſi vultis, probo etiam ac laudo: at carthartico ea

D ſem-

a Macrob. lib. 1. in ſomn. Scipionis c. 6.
b Plin. lib. 7. nat. hiſt. c. 51.
c Cornel. Celſus in proem. oper.
d Galen. 3. de Criſ. & 1. de natural. facult.

ſemper educi oportere, recuſo & objurgo; etenim valde indigentibus, longis ex intervallis, & non omnibus, ac ſæpius præſcripta utilis Catharſis evadit. Ne fortè hæc, quæ dixi, vana videantur, auctoritate & fide Veterum deſtituta, Galenum anteſtor, qui profectò [a] à me illis non diſſentit verbis. „ Earum verò, quæ „ quotidie generantur in corpore, „ ſuperfluitatum evacuatio, minor „ eſt, quàm ut exigat purgantis me„ dicamenti operationem: ſi verò „ quiſpiam voluerit bis menſe, aut „ ſemel eâ uti, veritus ne ſuperflui„ tatum multitudo aggregetur, præ„ ter id quod nocebit, corpora etiam „ in malam trahet conſuetudinem. Quid planius circa hujuſcemodi rem ex Galeno deſiderandum eſt? Quid vultis ampliùs? Non omnem igitur vaſorum abdominis plenitudinem catharticis tollere, oportet: non ſemper alvum cientibus ejus regionem torquere debemus; ſed ſatius fuerit ſu-

a 3. aphoriſm. comm. 15.

ſuperfluitates, ſi in ventriculũ congeſtæ ſint, inediâ, cibique potusve parſimonia corrigere; ſi nullum verò proprium habeant locum, ſed in totius habitu corporis coacervantur, frictione, balneo, corporisque exercitio, expurgare.

Emeſis validis corporibus utilior, quam Catharſis.

Verùm ſint pravi humores in tanta copia collecti; vel talis naturæ, ut diætâ, ſimilique levi medicamine corrigi haud valeant, cautionisque gratiâ evacuari neceſſe ſit; emeticis potiùs, quàm catharticis eos eſse proliciendos, arbitror. Quod ne temerè, & absque ratione à me dictum quis putet, Hippocratis tertium de Diæta & Inſomniis librum pervolvat, obſecro; & minimè ei, ſi diligenter perpendat, ignotum erit, Divinum Senem hiſce in libris, ubi de morborum præcautione agit, adeo ab alvi dejectione ſe abſtinuiſſe, ut ſi quid evacuandum fuerit, emeticis potiùs, quàm catharticis pravos è corpore educere juſſit humores. Neque id mirum cuipiam veſtrum

videri debeat; quippe Emeſis, ſi Fernelii opinioni [a] hîc detur locus, omnium evacuationum præſtantiſſima eſt; etenim, ſi ritè, rectèque adminiſtretur, noxios ſuccos ex ipſis fontibus promptè elicit, & abſque tot moleſtiis vacuat omnem, quæ in ventriculi cavitate, ejusve tunicis hæret illuviem, quam nec Hiera, nec aliud etſi vehementiſſimum catharticum in alvum exturbare poteſt.

Ingenii Pſ. G. Inopia in hecticis purgandis perſpicuè innoteſcit.

Sed neque hoc tantoperè querendum videretur: leve enim eſſet incolumes à vobis catharticis peſſundari, niſi hecticos, tabidos, maraſmo confectos, & alios hujuſcemodi ægrotantes iis medicaminibus conficeretis. Hoc eſt, quod magis me movet: hoc æquis auribus accipere nequeo. Quis igitur humor expellendus, ſi ſucci ſive noxii, ſive innoxii in iis non adſunt? Qui pravi humores detrahendi, ſi morbus materialis, ut vulgò dicitur, non eſt? Quid purgandum, ſi nuda temperie corpus laborat? Nemo

a Lib. 3. meth. med. c. 3.

mo certè nautam niſi ſtolidum vidit, ſtupâ cannabinâ cymbas reſarcire, aut picare, ubi illæ non dehiſcunt: veruntamen in dies aſpicimus, Vos medicamẽtis purgantibus (o quoties huic ſpectaculo interfui!)corpora extenuata ſtudiosè evacuare: lucernis humore quaſi defectis, & extremum lumen ſpargentibus,oleum detrahendum non eſt, ſed addendum: haud ſecus ac corpori arido, & exucco pauxillum illud humoris carthartico non eſt ſubtrahendum, ſed potius novus adjungendus eſt humor. Cæterùm ſi minimus error ab ægrotantibus,hiſce in morbis, in victu, vel balneo commiſſus, ob alvi profluvium imminens, maximum reputatur piaculum „ Quippe cum exitialis (pru„ denter monet[a] Galenus) horum „ ſit affectus, ne leviſſimum quidem „ errorem tolerat. In quàm maximum incidit crimen Medicus carthartico præſcribendo, quod etſi levius, blandiusque, ſemper hypercathar-

a lib. 10. meth. med. c. XI.

tharſim hujuſcemodi ægrotantibus inducit?

Non dari lenitiva cathartica, ſed omnia eſſe ejuſdem efficaciæ, clarè probatur.

Hîc verò nequeo me teneri, quin opportunè quorundam ex vobis inſulſum reſponſum irrideam: Audivi ſæpe numerò veſtrum non nullos, qui adeo excordes aſſeruere, graviter tum à Medicis peccari, ea corpora, quorum macies adduxit cutem, purgantibus ciendo, quando fortiora eſſent cathartica; at cùm lenitiva & debilia ſunt, quid prohibet, quid vetat ea non exhiberi? O mirum reſponſum, ex Anicularum ſanè trivio acceptum!, Quis enim tam hoſpes eſt in Arte Medica, qui purgantia remedia, quamvis blanda, corpus exagitare, vires infringere, ſtomacho refragari, febrim ſitimque adaugere, viſcerum fermenta invertere ignorat? Quis pariter non animadvertit, nulla eſſe medicamina, quæ citra faſtidium ſolùm diminuunt, aut leniunt; cùm omnia [a] parciùs & affluentiùs evacuare valeant, ſi præſertim doſi deficiant,

[a] Vid. Luc. Tozzi in aph. Hipp. comment. XXII. ſect. 1.

ciant, vel excedant, & hoc, vel alio artificio fuerint parata, aut correcta: Equidem, experientia duce, Manna, Roſas, Rhabarbarum, & ſimilia leviora, uti dicitis, cathartica, doſi adaucta, nonnunquam hypercatharſim inducere; & cathartica vehementiora, Scammonium ſcilicet, Helleborum, Colocynthidem Artis Chymicæ induſtriâ optimè caſtigata blandam, & levem ſubductionem promovere; in dies erudimur. Sed hîc non fumum vendo, nec fucum facio, ſed rem fidedigniſſimis firmatam teſtibus affero: Audite Hippocratem, quid de Helleboro à vobis pro medicamine fortiori habito [a] pronunciat. „ Ubi verò reponis, Veratrum molle bibendum dare oportet eadem die, „ ſi eadem die repoſita fuerint. Quid molle hîc ſignificet, niſi quòd Veratrum, quantitate diminuta, lenientis pharmaci naturam haudquaquam excedat? Date pauliſper aures Galeno [b] dicenti „ Verùm ſi

[a] lib. de Fractur. [b] 4. de vict. rat. in Acutis.

„ murmuraverit, fuerintque excre-
„ menta bilioſa, ſcammonio me-
„ diocriter purgato. Annotate illud mediocriter, & tam valet dicere, Scammonium mediocriter purgat, quàm quòd eradicans, ut aſſeritis, Catharticum, doſi vel quantitate diminuta mediocriter, vel minimè ventrem ſubducat. Huc etiam reſpexiſſe videtur, quando alibi [a] ſcripſit „ Evacuatio igitur affligen-
„ tis humoris per ſolam Aloëm con-
„ tingit, quæ purgatoriam vim
„ non fortem habet, ſed ut ea, quæ
„ circa alvum ſunt, quæ etiam con-
„ tingit, purgare poſſit: Et ſi aliquan-
„ do majori pondere exhibeatur, uſ-
„ que ad locos ſecundùm Hepar
„ conſcendit. En quomodo Aloë, lene medicamentum, cujus proprium eſt, ut ſuperficiem tantùm meatuum irritet, & vel pauxillum (ut more veſtro loquar) vel minimè agat; quantitate adaucta vires evacuandi fortiores acquirit, ut non ſolum ex pri-

a 8. de compoſ. medicam. ſec. loc. c. 2.

primis viis, ſed ex hepate, aliisque vicinioribus partibus pravos attrahat humores, & pharmacum haud molle, ſed præpotens evadat. Faceſſat ergo à veſtra mente, Pſeudo-Galenici male-ſana hæc opinio: Pellantur iſtæ fabellæ penè aniles.

Alterum Cathartici Indicans, Magnitudo ſcilicet morbi proponitur, & explicatur.

Sed mittamus hæc: ad alterum indicans, morbi ſcilicet Magnitudinem accedamus. Cui igitur vel cæcutienti non illuceſcat, quo in hoc etiam errore verſamini. Perperam enim confunditis magnitudinem morbi cum ipſius acutie: Morbus magnus non eſt, quia acutus; ſed magnus dicendus, ut rectè Galenus [a] admonet, vel ob afflictæ partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel demum ob ipſius pravitatem. Propter affectæ quidem partis dignitatem, Phthiſis morbus magnus eſt. Quid ergo? ipſam ne inter morbos acutos numerabitis? Minimè: ab hac nanque ſi vita ægrotantis, pulmonibus eroſis, in diſcrimen adducitur, lon-

a 4. method. med. c. 6.

longo & non brevi tempore tale periculum ſubit. Propter affectus magnitudinem Podagra morbus magnus appellandus: Acutus ne, obſecro, dicendus? Haudquaquam: ipſa autem, ſi nimio cruciatu ægrotantes conficit, abſque periculo, & tardisſimè ad exitum perducitur. Propter affectus deniq; pravitatem, vel, ſi græcè id malumus dicere, ' κακοήθειαν ', Ulcus Chironiũ ac Telephium morbus magnus vocandus. Quid? Acutiem ne ſapit? Nequaquam: licet enim mali ſit moris, utpote ex materiæ affluentis putreſcente acrimonia originem trahat, non celeriter tamen, ſed admodum tardè ex eo ſalus in diſcrimen vocatur.

Magnitudo & Cacochymia, ut Catharticum indicent, viribus adjunctæ ſint, oportet.

At ſit in acutis magnitudo: ſit quoq; Cacochymia: res ex veſtri animi ſententia ſuccedat: Quid utilitatis, quid emolumenti ex catharſi ægrotantes percipiant, ſi virium robur, in quo ſumma rei eſt, deficit? Ubinam ſunt vires in acuta febri languentibus, ut cathartici vim ſuſtine-

re

re valeant? Diſſolutæ jam ſunt. Ubinam corporis robur in Cardialgia, Cholera detentis, ut purgantia perferant remedia? Fractum & debilitatum jam eſt. Cur igitur neglectis viribus, quod morbus ſtrenuè indicat, exequi volueritis? Cur id, contra ac oportet, præſcribere in animo habeatis? Vereor ne cadat in vos dicterium illud. Morbus quidem curatus eſt, Æger autem interiit. Quod quantam Medicis ignominiam affert, recordamini quæſo illa Hippocratis [a] verba. „ Turpis enim eſt calamitas, me„ dicamento purgante dato, homi„ nem occidere.

Sed vos fortaſſe hîc cum Hippocrate multa complecti creditis paucis his [b] verbis „ Extremis morbis „ extremè exquiſita remedia opti„ ma ſunt. Prô Sancte Deus! quo pacto veſtræ inſulſæ opinioni hoc Hippocratis Oraculum congruit, neſcio. Vos fortè populare putatis habere argumentum, cùm dicitis: Extre-

Impudenter ſibi aſſentari Hippocratico textu P.G. fuſius demonſtratur

a Lib. de med. purgant. b aph. 6 ſect. 1.

tremis morbis extremè exquiſita remedia optima ſunt. Ah homines ſententioſi! quid vobis conducit hic textus, ſi eſt lapis ille Lydius, quo adulterinum ſapientiæ veſtræ aurum exploratur? Quid ad rem pertinet, ſi Hippocrates hic de purgantibus remediis non loquitur, ſed de victu extremo? Miror vos equidem, quomodo in tam levem, ne dicam ineptam ſententiam incidiſſe, Catharticum extremum eſſe remedium. Quod quàm à Sapientum judicio manifeſtè diſſentit, diffuſiùs oſtenderem, ſi à temporis anguſtiis me excluſum non perſpicerem: at rem latè patentem quibusdam interrogatiunculis ſubſtringam oportet. Númne, ſi Ariſtotelis ſententiam exquirimus [a], nomẽ extremi nil aliud, niſi quod eſt admodum contrarium, conſequi valet? Quomodo igitur catharticum extremum hoc ſenſu dici poſſit remedium, ſi nullam morbis dicit repugnantiam, cum hæc duntaxat inter quali-

tates

a Vid. L. Tozzi in comment. aphor. 6. ſect. 1.

tates verſetur? Extremum ne remedium appellari meretur, ut non pauci arbitrantur, id quod extremam corpori commotionem inferat? Non erit profectò extremi remedii nomen, hac ratione, catharſi tribuendum; quippe quæ eadem celeritate, qua juvare poſſit, irreparabilem perniciem, ut frequentiùs accidit, parere valeat. Quodnam igitur remedium hoc titulo erit ornandum? Cui medicamini hæc nota apponenda? Illo profectò, quod naturam quidem afficit, non conficit: illo, quod morbo refragatur, non ſuffragatur: illo, quod ſymptomata à corpore amovet, non ei admovet: illo denique, quod vitale robur ad propulſandam morbificam cauſam confirmat, non infirmat. Hoc modo [a] Sternutamentum retentis ſecundinis; Somnus [b] Delirio; aquæ frigidæ [c] perfuſio Tetano; frigefactoriæ potiones [d] febri ardenti extrema ex Hippocrate

a Aphorism, 49. ſect. 5.
b aphorism. 2. ſect. 2.
c aphorism. 25. ſect. 5. & lib. de liquidor. uſu.
d lib. 3. de morbis.

te ſunt remedia: Sic etiam Diaſpermaton medicamentum, ex ſeminibus papaveris albi compoſitum [a], & Ceratum ex Thapſia à Galeno pro extremis exquiſitisque remediis in ſputo ſanguinis, & pulmonum ulcere habentur: Hac ratione ab eodem [b] cucurbitula magna ventri & umbilico admota colico dolori, & Balneum [c] Hecticis extrema vocantur remedia. Sed miſſa Veterum remedia faciamus: Nóanne apud Recentes, quia Sanguis Hircinus Pleuritidi, Suber Dyſenteriæ, Gummi arabicum Dyſuriæ, Nitrum Nephritidi, Cortex Peruvianus Febri, Opium Dolori, Pulvis Cancrorum fluviatilium Hydrophobiæ ſtatim ſuppetias afferunt, magna & extrema appellantur remedia? Si ita igitur interpretatur Extremum, perpendamus, rogo, ſi carthartico rectè convenit: Erubeſcam, fateor, id ad trutinam revocare, ſi dato medicamento evacuante, virium robur

a 5. meth. med. c. 13.
b 12. method. c. ultimo: & 14. meth. c. 7.
c X. meth. meden. c. X.

robur potius demergi, quàm emergi quotidie obſervem: Erubeſcam profectò, cum veneni naturam id ſapere à Galeno [a] literis proditum inveniam. Pudet me id expendere, ſi eo exhibito, morbi, eorumque ſymptomata revireſcere magis, quàm exareſcere agnoſcam: me pudet ſanè, ſi adhuc meis inſonet auribus juſtiſſima illa Hippocratis [b] querimonia „ Ca-
„ thartica ſi temerè & negligenter
„ exhibeantur, temerè homines tur-
„ bant, & quodammodo morbos
„ inducunt. Ergo velitis, nolitis Pſeudo-Galenici, fateamini oportet, vos ſolidæ Hippocratis doctrinæ vel eſſe penitus oblitos, vel aliorſum ejus ſententias à vobis accipere, ac dixit.

Verùm, etſi à ratione abſonum eſt, purgans remedium extremum vocari, & acutos inter magnos morbos reputari; tamen credam, & proverbio locum dare velim, Sus Minervam:

a in 6. de morb. vulg. comm. 6.
b lib. de medicam. purgantibus.

vam: Quæro nunc à vobis, quid ni in Syncope, Volvulo, Cardialgia, Venenis epotis alvum catharticis ſollicitatis? Magni & extremi ſunt morbi: Catharticum extremum eſt remedium; cur hîc ab ipſo abſtinetis? ut quid ab uſitata conſuetudine receditis? Eja, ne garrula, in tanta re, veſtra lingua muteſcat, adducite mihi argumentum? Exceſſit ne id è memoria? Neutiquam: memoriæ haud lapſum, ſed quid imperitiæ veſtrum ſilentium arguit.

Catharſis Permittentia breviter examinantur, eaque temerè ſperni à Vſ. G. aperitur.

Sed jam tempus eſt, ut quæ catharſim tolerant, examinentur. Aperite denuò Galeni volumina, conſulite ut lubet, excutite. Nónne ipſe ægrotantis Vires,[a] Tēperiem, Ætatem, Anni tempus, Regionem & Cōſuetudinem permittere purgationem recenſet? Vires equidem ægrotantis, priusquam purgare ſtatuatur, librandæ ſunt, an tantùm roboris in ſe habeant, ut evacuationem illam facilè perferant: an potius ad id imbe-

[a] lib. quos purg. op. quib. med. & quo temp.

becillitatis devenerint, ut indicatæ evacuationis vehementiam ſuſtinere nequeant; ubi enim Ægroti vires pervigent, aut ſaltem ſunt mediocres, quid morbus indicat, audacter eſt peragendum: ſin autem ita imbecilles, & parum firmæ, ut remedii vim ferre recuſent, minimè eſt evacuandum, ne planè dejiciantur, atque ex adverſo eventu infamiam ſubeant ea præſidia, quæ aliis fuere ſaluti. Ad rem igitur & appoſitè monet [a] Avicenna „ Et cum virtus
„ deficit, non valet curatio; curans
„ enim ſicuti ſciviſti, eſt virtus, non
„ Medicus, quoniam Medicus facit
„ pervenire inſtrumenta ad virtu-
„ tem. Conſentientibus igitur unà
„ cum virtute coindicantibus cæte-
„ ris, & evacuationes rectè proce-
„ dent, quemadmodum & in præſi-
„ diis cæteris ſe habet: diſſentienti-
„ bus verò cuncta prohibebunt.
Cæterùm catharſis calidam & humidam exigit temperiem; corpora enim

a l. 4. tract. 2. c. 8.

ita conſtituta, utpote carnoſa, & bene compacta, commodè alvi purgationem tolerant: ſicciorem ſecus & calidiorem temperaturam habentia, purgantis impetum eludere nequeunt, facilèque ab ipſius æſtu magis incaleſcere, & exſiccari poſſunt, nec non in ſpasmos, convulſionesq; ſi purgans validum exſtiterit, incurrere: in quæ omnia pariter incídere poſſint ab evacuatione ea corpora, quæ frigida & humida, ſeu frigida & ſicca craſi ſunt prædita, ob habitum gracilem & tenuem, ſpirituumq; inopiam. Præterea Ætas debet eſſe juvenilis; quare nec Puerum, nec Senem purgare convenit, ne ille in carnium diſſolutionem, hic in virium languorem repente cóncidat. His adde anni tempus, quod temperatius eſſe oportet, ut eſt Vernum & Autumnale. Æſtate enim ob ſummum aëris calorem, qui corporis texturam relaxat, viresq; infringit, evacuatio moleſta & difficilis evadit: Hyeme verò ob ingens frigus, quod mea-

meatus corporis conſtipat, ſuccosq; minus permeantes reddit, laborioſa contingit: quod pariter de Regione dicendum, quæ nec frigore, caloreque nimio, nec ſubitis aëris mutationibus, aut viciſſitudinibus ſit obnoxia. Denique corpora purganda catharſi aſſueta ſint, oportet; inſueta enim eam ægrè ſufferunt, aſſuefacta facillimè; fibræ nanque ventriculi & inteſtinorum prorſus uſu obduruerunt, necnon quodammodo ad illam irritationem ſuſtinendam, à ſalinis cathartici particulis factam, aptæ redduntur. Quæ cum ita ſint, cur in cathartico adminiſtrando hæc non perpendantur, ſed omnes indifferenter quocunque tempore purgetis? Ad quid tantopere in his annotandis laboravit Galenus, deſudarunt Antiqui, ſi vos indiſcriminatim languore confectis, Senibus, Pueris, ſiccâ vel frigidâ temperaturâ præditis, inſuetis, & qualibet aëris intemperie obnoxiis cathartica præſcribere non dubita-

tis? O facilem medendi Regulam! O brevem purgandi methodum!

Reliquum eſt, ne nihil ex iis, quæ hodie ſunt disquirenda, relinquatur, ut de purgationi reclamantibus dicamus. Quæ ſint hæc, ſi fortè è veſtra memoria excidére Pſeudo-Galenici, luſtrate quæſo oculis, niſi grave eſt, rurſus Galeni codices, & clarè ea, quæ ſint, ex iis deprehenderis. En quomodo apertè in Hippocratis [a] commentariis, humorum Cruditas, Inflammatio, immodica Evacuatio vel præſens, vel antegreſſa, fæcum Suppreſſio, Uteri geſtatio ab ipſo pro catharſi reclamantibus recenſentur: ſingula nunc paucis perſequi neceſſum eſt. A primo igitur ordiamur.

Catharſim Renuentia afferuntur, & in ſingulis Pſ. Gal. claudicare, apertè deprehenditur.

Nihil ſanè eſt in Arte Medica protritum, dictumque magis, quàm ut à purgantibus cruditate humorum obſtante, abſtineamur; nihilque tam clarius graviſſimâ illâ ſententiâ expreſſit [b] Galenus „ Si in laſſo cor-

a 1. aphoriſm. comm. 14. & alibi.
b lib. 4. de ſanit. tuend.

„ corpore ſanguis bonus exiguus
„ ſit, crudi humores plurimi, huic
„ nec ſanguis mittendus, nec alvi
„ dejectio, aut exercitatio, aut o-
„ mninò motus, aut balneum adhi-
„ bendum. Scitè, prudenterq; mo-
net, qui, cùm adhuc ab utili ſangui-
nis parte non ſint ſecreti, ipſaque
commiſti indebitè fermenteſcant,
coctio, ut utiliter medicamento eva-
cuante educantur, exſpectetur neceſ-
ſe eſt. Itaq; cur eam non exſpectetis?
Cur ſic temerè in morborum initiis
catharſim imperetis? Veſtro igitur
errori non eſt integumentum: quo
nil profectò pernicioſius. Quid
enim eſt, non exſpectata coctione,
cathartica præbere, quàm viſce-
rum texturam infirmare, ſangui-
nem fervidiorem reddere, virium
robur enervare, ingentemque uni-
verſo corpori noxam inferre? Quod
quàm bellè ſcriptum nobis reliquit
Galenus, [a] attendite „ Dejectio
„ verò in talibus tormina & roſiones

 creat,

[a] lib. 4. de ſanit. tuend.

„ creat, animique deliquia, cum „ eo quod nec notatu quippiam di- „ gnum educit: quando crudi omnes „ ſucci, pigri, atque ad motum ine- „ pti propter craſſitudinem frigidi- „ tatemq; ſunt. Quid porrò? Num vitio naturæ à Cordatis Practicis tribuitur, quando ante coctionis ſigna humores crudi evacuantur? „ Si- „ quidem oportet, ut ait [a] Galenus, „ coctionem præire, ſubſequi verò „ diſcretionem, & poſtea evacuatio- „ nem, ut bona ſit criſis, ſive judicium. Ut quid vos damnandi non eſtis, qui illud idem arte facere tentatis, quod ipſi naturæ nequaquam conceditur? Nónne cruditas in febribus videtur eſſe quaſi humorum fermentatio, ſanguiſque efferveſcens Cerviſiæ, vel Muſti naturam imitari? Quis enim eſt, qui à muſto vel cerviſia, per filtra etſi pluries, & pluries ea trajicit, fæces unquam ſeparare poteſt, niſi deſtita ebullitio, & fæcum ſecretio ſit abſoluta? Cur

ergo

a Comm. 4. aphoriſ. 22.

ergo vos carthartico,dum ſanguis inſtar ſpumantis liquoris ebullit, & non adhuc deferbuit, noxios humores educere velitis? Quid hæc incredibilis prurigo? Quid hæc feſtinatio? Quid hæc celeritas tanta purgandi ſignificat? Turgentia ne vos incitat ad catharſim intempeſtivè inſtituendam? Quid audio? Humorum turgentiam commemorare audetis in iis corporibus, quæ, morbi principio, quotidie purgatis, quando Majores noſtri raro id accidere ſcripſerunt. Audite [a] Hippocratem:
„ Concocta medicamentis aggredi
„ oportet, & movere non cruda, ne-
„ que in principiis ſi non turgeant,
„ plurimum verò (annotate hæc
„ verba, quæ auro expendi decet)
„ non turgent. Quomodo igitur tam ſæpe ſæpius, immò ſemper turgentiam iſtam invenietis, ſi raro hæc ex Hippocrate ægrotantibus evenit. Vel igitur oportet, ut dicatis, ſic facilè & ſæpe turgentiam invenire

Raro turgentia humorum accidit.

[a] 1. aphoriſm. 22.

Poëtarum eſſe figmentum ; vel hîc falli, decipi Hippocratem, quem, ut loquar cum Divo Auguſtino „ Deus „ creavit tanquam virum [a] in arte „ medica minimè errantem. Utrum velitis, eligite ? Si primum; mihi vobiſcum controverſiæ nil amplius erit : ſi ſecundum; jocò ne, an ſeriò hoc dicitis, petam ? ſeriò loquamini ? Eja, os opprimite; ſi enim ullum verbum addideritis, vereor ne fulmen illud Valleſii [b] in veſtrum récidat caput „ Pereat, qui Hippocra„ tis oracula perſtrinxerit. Satis igitur eſt argumenti, vos non turgentiæ metu, ſed quadam animi celeritate ad purgandum adduci, ne ſcilicet quiſpiam, ut eſt in uſu poſitum, non expurgatus, ac ſordidus hinc migret.

Tam lenia, quàm fortia cathartica, ſi materia adhuc cruda eſt, excluduntur.

Nec micam bonæ frugis, nec hilum habet dicere, Hippocratem damnaſſe, cruditate humorum exiſtente, purgantia vehementiora, uti Colocynthidem, Scammonium, Hel-

a lib. 5. de Civit. Dei. b in comm. prognoſt.

Helleborum, neutiquam verò leviora; cùm his communiter Medici noſtrates in principio morbi, etſi humores concocti non ſunt, utantur, uti Casſiâ, Rosâ, Mannâ, Rhabarbaro, &c. Micam quidem bonæ frugis, ut dixi, non habet; cujuscunque enim generis ſit purgans, æqualem ſemper evacuandi vim obtinet. Sed eſto, & vobis, quod ante non conceſſi, hîc concedere velim: Nunquid ab ipſismet Veteribus lene catharticum initiis morborum admiſſum fuiſſe, ſcriptum invenitur? Nullibi profectò; quin contrarium apertè decernit [a] Galenus „ Quo tempore „ à causſis morborum facientibus „ natura gravatur, & adeſt cruditas „ humorum, tunc aliquid utiliter „ evacuari eſt impoſſibile. O quàm vehementiùs vos hæc ſententia peracuta perſtringit. Explicamus eam, rogo, partitèque verborum pondera examinamus. Quorſum igitur verba illa *Natura gravatur* pertinent, niſi

ad

[a] 4. aphor. comm. 2.

ad humorum copiam demonſtrandam? Quorſum *humorum cruditas* ſpectat, niſi ut morbi initium oſtendatur? Quid præterea ſignificat *aliquid evacuari*, quàm leniter & moderatè humores purgare? Quid denique clauſula illa maximi momenti *eſt impoſſibile* denotat, quàm velle educere leni pharmaco, dum morbus incipit, crudos humores, non aliter eſt ac Æthiopem lavare, & ut Lunæ radiis botrus matureſcat, efficere? Quid inſuper magis patens & manifeſtum eo, quod Hippocrates [a] ſcripſit ,, Quibus verò Urinæ te-
,, nues, tales ne purgato, ſed ſi vi-
,, ſum fuerit, infuſum per clyſterem
,, adhibeto? Si igitur Hippocrates in principiis morborum noſtræ committit prudentiæ clyſterē præcipere, cùm adhuc, inconcoctis humoribus, urinæ ſunt tenues; quomodo poteſt ſic tam audacter decernere, cruditate humorum reclamante, de medicamento cathartico, quod, etſi levius

eſt,

[a] de rat. vict. in acut.

eſt, longè magis quàm clyſter præſtare videtur.

Et ne longiùs abeamus, relictis auctoritatibus, veniamus ad argumenta. Cathartica vehementiora, ideo ſummè nocua evadunt, & naturæ concoquentis actionem maximopere perturbant; quia graviter corpus exagitant, & omnino vires infringunt. Purgantia igitur blanda, quia minus corpus afficiunt, viresque parum minuunt, minus nocua eſſe, & coctionem paululùm interturbare neceſſum eſt, ut fateamur: Sed quis adeo mentis inops atque impos ſit Medicus, qui in morborum principiis experiri velit remedium, quod pro certo noxam etſi minimam affert, coctionemque aliquantulùm perturbat, & non potius iis utatur medicamẽtis, quæ nullo modo ipſam labefactant, ſed magis promovent, naturamq; corroborant? Porrò ſiccine expeditam fixorum humorum eductionem, initiis morborum, vobis conſtituitis per cathartica leviora,

quæ

quæ eos nequicquam attingunt? Sic-cine inconcoctos humores ab utilibus adhuc non ſecretos, qui vehementioribus purgantibus difficulter educuntur, debilioribus evacuare arbitramini?

Sæpius allucinantur Pſ.G. in inflammatione pro turgentia accipienda.

Sed minus hæc ad nos, minus ad vitæ noſtræ diſcrimen, minus ad ſalutis periculum pertinent: Illud, illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud febricitanti cuique metuendum, quòd ſæpe ſæpius inflammationes internas cum vergentia & turgentia humorum permiſcetis, anxietate & anguſtia, quam neceſſariò phlogoſis affert, facillimè capti. Quot, heu, vidi ægrotantes (ò ſpectaculum miſerum atque acerbum!) ſumpto medicamento purgante paulò poſt animam exhalaſſe ob hanc veſtram præcipitem ſententiam, quam illico ob irrequietum eorum ſitum, in medium protuliſtis: Bene igitur perpendatis, oportet, quid ſit turgere, & an ſemper, quando æger adæſtuat, nullamque certam

for-

formam decubitus ſervat, turgentiam arguat. Et mirum profectò eſt vos in re tam clara cæcutire; cùm nemo, quòd ſcio, planiùs, nemo uberiùs, nemo ornatiùs, quid ſit turgere, quàm Galenus, quem tam peramanter obſervatis, illis verbis [a] explicavit „ Concitari & turgere „ humores dicuntur, cum motu ve„ hementi agitantur, ac ab uno loco „ ad aliud confluentes, inter prin„ cipia morbi hominem vexant, do„ loresque ac titillationes afferen„ do, ægrum quieſcere non permittant. Nónne ex his luce meridiana clarius innoteſcit, humores tunc turgere, quando majori impetu, quàm par eſt, per viſcera huc, illuc feruntur, ſimulq; copiâ & pravitate ea concitant, irritant, & gravant? Anxietas igitur & oppreſſio, ut turgentiam indicent, dolori per viſcera vago adjunctæ eſſe debent, & haud illo aſſociatæ, qui cuidam parti affixus, ſitim ingentem, linguam aridam, urinam flam-

[a] lib. quos purg. oport. quib. med. & quo temp.

flammeam, rubramque, febrim acutam, & pervigilium affert; quæ omnia ſi ægrotantem excruciant, phlogoſim ſine dubio arguunt, tumque tantùm abeſt, ut quicquam purgatio juvet, ut eandem potius, ſanguinem exagitando, inque locum affectum altiùs impingendo, magis adauget: Non mea hæc, ſed Hippocratis verè Magni præclara ſententia [a] eſt: „ Quicunque verò ea, inquit, quæ „ inflammata ſunt, in principio mor„ borum medicamento ſolvere ag„ grediuntur, hi de intento quidem „ ac inflammato nihil auferunt: non „ enim remittitur affectio, quæ ad„ huc cruda eſt: quæ vero mor„ bo reſiſtunt, ac ſana ſunt, colli„ quefaciunt. Hoc verum eſſe etiam teſtatur, aureo illo documento [b] à Medicis ſæpe ad memoriam revocando, Galenus „ Quibus hypo„ chondria ultra modum calida, & „ hoc ipſo in loco aliqua viſce„ rum inflammatio, omnes nequa-

quam

a de rat. vict. in acut.
b lib. 5. in comm. ad aphor. 24.

„ quam apti ſunt ad purgationem.
Calculum quoque ſuum huic egregiæ ſententiæ adiicit [a] Avicenna, dum inquit „ Habentibus in interiora apoſtema, purgatio noxia „ eſt.

Humores, etſi turgēt, catharticis haud educi, ſed aliis evacuantibus debent.

Sed loquar nunc more veſtro; ſint ſanè humores turgentes in febribus: ſemper ne ita turgeant, ut cathartico educi valeant? Neutiquam; Nam illi duntaxat dejectione evacuari poſſint, qui ad meſenterium & inteſtina impetum faciunt, ut ex conjuncto murmure conjici poteſt; non verò, qui ad alias corporis partes vergunt. Maxima igitur eſt à recta medendi methodo aberratio, turgentes quomodocunque humores, ſive ii in vias urinæ, ſive in articulis, aliiſque externis partibus inclinent, educere; minimè quidem licet, magno ægrotantium periculo, naturæ motum diſtrahere, ac impedire, ſed, ut munus optimi Medici exigit, conſectari & adjuvare: Hinc pru-

a 4. I. c. 4.

prudenter monet Hippocrates his [a] verbis „ Tales verò ſiquidem ab „ initio medicamentis purgare vo- „ luerit, ante quintum diem id faci- „ to, ſi venter murmuraverit: ſin „ minus impurgatos ſinito. Quamobrem etſi humores turgerent in Pericle, Metone, Muliere moroſa, Virgine Laryſſea, aliisque, non tamen fuere ab Hippocrate purgante medicamento educti, quippe qui ad alvũ non vergebant, ut ex Galeni [b] commentariis, colligitur: Immò idemmet Hippocrates [c] expreſsè coctionem exſpectandam eſſe, etſi humores turgent, ait „ Quibuscunque verò febres anxioſæ ſunt, & quæ præcordia intendunt, & decumbentes „ in eodem loco decubitum non ſu- „ ſtinent, & extremæ partes perfri- „ gerantur, hi plurimâ omninò di- „ ligentiâ ac cuſtodiâ opus habent. „ Degant autem hi, ut nihil ipſis ex- „ hibeas aliud, quàm acetum mul-

ſum

a de rat. vict. in acutis.
b 4. de rat. vict. comm. 64.
c de rat. vict. in acut.

„ ſum aquoſum. Sorbitionem verò „ ne exhibe, donec febris deſierit, „ & urina concocta fuerit.

Sed hæc ſunt levia pro veſtra inconſiderantia argumenta, en majora afferam. A Galeno planè [a] habetur, ut rite, catharſis inſtituatur, quòd Alvus non ſit ad Diarrhœam propenſa, fæces non admodum induratæ, aut diu ſuppreſſæ, nec Uteri geſtatio adſit. Num his reclamantibus à carthartico abſtinetis? Utinam ita cauti eſsetis, quoties alvus ſit laxa, ne nimis irritetur, & cum periculo hypercatharſis accidat. Utinam ita prudentes, quoties fæces diu ſuppreſſæ aut induratæ ſunt, ne ad inteſtina humores attracti magis cumulentur, & ob impervia foramina, ventris tormina, ſpaſmi, vertigines, & anxietates procreentur. Utinam ita callidi, quoties mulier uterum gerit, ne ex inteſtinis vitioſi humores excitati, partes vicinas irritent, & fœtus periclitetur. Sed quid optem? quid

Alia ſuperiùs recenſita Reclamantia librantur, & in his etiã decipi Pſ. Gal. oſtenditur.

F

a lib. quos purg. oport. &c. & comm. 5. aph. 29.

quid quæram? fruſtrà in votis tempus contero: Intueor enim, etſi alvus eſt laxa, fæces induratæ, mulierq; uterum gerit, morbi materiam etiam medicamento alvum ducente evacuare contenditis. Ecquodnam in arte medendi majus hoc videtur erratum? nullum, opinor, maximum: Etenim ſi eſt flagitioſum, alvo adſtricta, medicamento dejectorio ſuperpurgationem inducere, quantò flagitioſius, improbius eam, ſoluto ventre, promovere? Si extra artem eſt, & Medico indignum, purgantia non præmiſſis digerentibus exhibere: quantò indignius eſt diu oppreſſam fæcibus induratis alvum, catharticis ciere? Si ſcelus habetur in fœtus geſtatione clyſterem acrem præſcribere: quantò ſceleſtius eſt medicamentum purgans in primis, ſeu in ultimis menſibus, in quibus vel tenerior, vel maturior eſt fœtus, præcipere?

Verùm hîc disrumpi videor, niſi hujusce veſtræ corruptæ methodi cau-

cauſam detegam. Vultis ne, paucis dicam, quid eſt cauſæ, cur ſemper purgantia jubetis? Dicam, & quod fateri non audetis, vel certè erubeſcitis, ego ipſe ſine fuco & liberè patefaciam: Cùm vos veram, germanamque Hippocratis, Galenique medendi methodum comparare, nolim dicere, non potueritis, quoniam tantæ ingenii imbecillitatis non eſtis, ſed quadã incuria nolueritis, ideo adulterinam hanc medendi legem, in omnibus nempe morbis cathartica præſcribendo, inveniſtis; ignaramq; plebeculam, quod magis dolendum eſt, ita induxiſtis, ut hæc neminem Medicum Galenicum eſſe credat, niſi eum, qui catharticis ſæpius repetitis opprimit ægrotantes; aliosque, qui ſpecifica propria morbis rectè præſcribunt, Chymicos, Fumivendulos vocitat. Quò igitur veſtra incogitantia ultrà progredi poteſt. Carent ne Hippocratis Opera Medica optimis remediis cuicunque morbo occurrentibus, ut ſemper neceſſe ſit ad

Præpropera Pſ. G. purgandi methodi legitima cauſa annotatur.

cathartica recurrere? minimè: cum Incubo [a] vomitorium; Apoplexiæ [b] ptarmica; Lethargo [c] apophlegmatiſantia; Opiſthotono [d] aquæ frigidæ effuſionem; Phrenitidi [e] humida calefactoria; Anginæ [f] gargariſmata; Tabi [g] lenticulæ decoctum; Peripnevmoniæ [h] nucem pineam, & galbanum cum melle; Plevritidi [i] magni ari radicem, & aquam mulſam; Choleræ [k] anodyna, & potiones humectantes; Lienteriæ & Diarrhœæ [l] exſiccantia, humoreſque avertentia; Singultui [m] cuminum, & daucum; Dyſenteriæ [n] demulcentia ex lacte, & aſtringentia ex meſpilis, ſorbis, myrtique baccis; Colicæ, & Iliacæ [o] cly-

a lib. de inſomn.
b lib.3. de morb.
c ibid.
d ibid.
e ibid.
f lib.2. de morb.
g ibid.
h lib. de rat. vict. in acut.
i ibid. & lib.3. de morb.
k lib. de affect.
l ibid.
m lib. de vict. rat. in acut.
n lib. de affect. & de vict. rat. in acut.
o lib. de affect.

clyſteres emollientes; Stranguriæ [a] vini potionem; Ictero [b] urinam cientia; Arthritidi [c] lac aſininum; Cavſo [d] potiones frigidas; Tertianæ [e] quinquefolii radicem in aqua exhibitam, à Clariſs. König [f] quoque laudatam, & nobis optimo cum eventu pluries expertam; Quartanæ [g] hyoſcyami, & mandragoræ ſemina; Uterino fluxui [h] vini potum, in quo cancri fluviatiles ſint ſuffocati, & ſpongiæ combuſtæ pulverem; Profluvio mulierum albo [i] corticem papaveris albi & rubri, ſpinæ fructum, malicorium torrefactum, & lac bubulum; Hyſtericæ paſſioni [k] caſtoreum, & conyzam; Menſibus, & Secundinis retentis [l] dictamnum creti-

a aph. 48. ſect. 7.
b lib. de affect.
c ibid.
d lib. 3. de morb.
e lib. 2. de morb.
f in Regno vegetab.
g lib. 2. de morb.
h lib. de nat. muliebr.
i ibid.
k lib. 2. de morb. mulier.
l lib. de nat. mulieb.

ticum, origanum (& ne plura, quæ ſunt penè innumerabilia, conſecter) ariſtolochiam, & myrrham Senex præſcribit. Nihil præterea hîc dicam de tot tantisque remediis, pro quocunque removendo morbo, ſuis in operibus à Galeno deſcriptis: nihil de tot ſelectis è triplici Regno medicaminibus, quæ in officinis continuò proſtrant: nihil denique de tot libris Pharmaceuticis, ſpecioſis titulis Ciſtæ nimirum, Theſauri, Theatri, Armamentarii, Baſilicæ, Pyrotechniæ, Antidotarii exornatis, verba faciam; cum hæc omnia, etſi vobis nulli, neſcio qua inconſiderantia, ſunt uſui, minimè tamen incomperta eſſe puto, ſi ante oculos omnium ſunt poſita, & in uſu quotidiano collocata. Summa igitur incogitantia, nō ſpecificorū inopia ad vos cathartica præſcribenda ſemper incitat. At hîc circuitu non eſt agendum: quæſo quid vos, ò Pſeudo-Galenici, cogit, ut in febribus benignis ſemper purgantia

præ-

præſcribatis non ſemel, ſed bis, terve, quaterve? Febrifugorum negligentia. Quid vos allicit ad alvum tam ſæpe ſine ratione, ſine methodo in malignis, peſtiferisq; febribus catharticis ciendum? Alexipharmacorum contemptio. Quid vos quotidie in morbis capitis ad purgantia ſollicitat, ipſa ſæpe repetendo cum ſumma ægrotantium pernicie? Cephalicorum deſpicientia. Quid vos tam ſæpe ad dejectorium exhibendum in morbis medii ventris curandis, inflammat? Thoracicorum inconſiderantia. Quid vos in ſtomachi, ſimilibusq; morbis ſuadet ſemper purgare? Stomachicorum incogitantia. Quid poſtremò hanc vobis mentem indidit ſemper purgare, & quaſi miſeros ægrotantes eviſcerare? Incogitantia, incogitantia.

En igitur, Auditores, præpoſteræ eorum purgandi methodi vera, ſinceraque cauſa: Poterit ne vobis quicquam utile ab iis evenire? Poterit ne veſtræ ſaluti conſervandæ vel labefa-

ctatæ à morbis optimam medicinam obtingere? Nunquam omnino. Conſiderate quæſo, quibus veſtra committitis corpora; quibus, quod carius vobis, quod jucundius, quod dignius eſt (veſtra ſalus, inquam) traditis, expendite, reputate.

Futile Pſ. Gal. ſubterfugium manifeſtò confutatur.

Quid noſtra refert (audio hîc, neſcio quē, Auditores, mihi ſic obloquentē) Quid ad nos tot conditiones in alvo expurganda animadvertere, tot annotare, ſi Pharmacopolæ nonnulli, Balneatores, & Tonſores quamplurimi, quin & rudes Mulierculæ purgantia ægris liberè præbent, venam ſecant, & quamplures alias evacuationes, inſcio Medico, quotidie inſtituunt, & proſperè iis ſemper procedit negotium. Nihil igitur piaculi eſt, ſi catharſis indicia, & reclamantia non advertamus: nihil criminis? Nihil? Quæ vox meis auribus inſtrepit! Rebar ego certamen mihi cum Medicis fore, pedem arbitrabar mihi hodie cum Philoſophis conferendum: at, ut nunc eſt, ecce cogor

jam

jam cum Stercorariis, cum Empiricis in arenam deſcendere; cum iis inquam, qui in ſtercore acquieſcunt; cum iis, qui nihil aliud cogitant, quàm alvum medicamine ſollicitare, nihilque in ore habent, quàm ſordes, quàm fæces: Verùm, omiſſis jocis, velim, mihi dicatis, niſi moleſtum eſt, quem ſanæ mentis virum à recto medendi tramite deducere valeat, nonnullos animadvertere priſtinæ ſanitati à Mulierculis & Circumforaneis, ſine tot cautelis adhibitis, purgantibus reſtitutos? Nullum profectò: Quemadmodum enim fieri poteſt ex crebra ſagittarum ejaculatione non perſpectum ſcopum à cæco aliquando attingi: itidem circumforaneo ignotis ſibi remediis, & cautelis ad ea requiſitis, cuipiam interdum ſubvenire, non eſſe prorſus impoſſibile, arbitror. Verùm ſi nemo mentis inops conſpicitur, qui, ut collineet, jaculandi artem à cæco tentet perdiſcere: multò magis inconſiderati animi eſt, cum de pelle humana

mana agatur, illorum exemplo, qui non artifices, ſed & artis, & humanorum corporum deſtructores appellantur, vera evacuandi ratione neglecta, cathartica ſic indiſcriminatim exhibere.

Satin' igitur jam Galenicæ doctrinæ deſertores, quo in errore verſemini, tandem aliquando cognoſcitis? Satin' ſummam veſtram inertiam perſpicitis? Ecquid bonam mentem cœpiſtis? Ecquid veſtram dedidiciſtis methodum? Sed quid exclamem? Quid querar? Mea non ſunt latera, Auditores Ornatiſſimi, meæ non vires, quæ tam pernicioſæ corruptelæ querimoniam valeant ſuſtinere. Dixi.

ACTIO

ACTIO III.

In qua maxima Pſeudo-Galenicorum Inertia in Veſicantibus inconſultè præſcribendis inſectetur.

SI præteritis actionibus, Auditores Præclariſſimi, quotiescunque verba facturus in ſuggeſtum prodirem, ne mihi verbum ex ore excideret, quod Pſeudo-Galenicos nimis exaſperare atque irritare poſſem, verebar. Hodierna autem die mihi de ſumma eorum inertia, in veſicantibus ſic inconſultè præſcribendis, dicere ingreſſo ſtyli durities atque acerbitas ut eveniat, expetam. Etenim, ut hic tam penitus in eorum animis inſitus, tam vetuſtus abſcindatur abuſus, liberæ objurgationis

ſcal-

ſcalprum, atque novaculam ii experiantur, neceſſe eſt. Non mollia unguenta ulcera gravia & periculoſa, ſed ferri aciem, ignisque vim, velint nolint ægrotantes, exquirunt: haud aliter, ut effrænis hæc conſuetudo tam longè latèq; diffuſa coërceatur, non blanda & fucata verba, ſed firma & acria, non Demoſthenicæ eloquentiæ inuſta calamiſtris, ſed Tullii acri vehementia exornata expoſcit: Hinc mihi durum profectò laborem parari proſpicio, & ipſa cogitatione ſuſcepti muneris fatigor; etenim me minimè inſtructum pugnaci, atrociq; ſtylò, ut cauſa expoſtulat, agnoſco, & vereor ne levioribus, quàm præſens actio exquirat, verbis utar. Sed tamen dicendum: equidem ſpero fore, ut Reipublicæ ſalutis memoria acriora mihi verba ſuppetat & ad eorum impudentiam, ut par eſt, perſtringendam, impetum, ſi mihi deficit, addat.

Et ut, omiſſo principio, rem ipſam aggrediar. Locus profectò hîc mihi videtur eſſe de veſtra in Galenica doctri-

ctrina, ô Pſeudo-Galenici, inconſtantia expoſtulandi. Nónne vos animam relinquere potiùs, quàm Hippocratis, Galenique ſenſum deponere jactatis? Cur hîc veſicantium applicatione ab ipſis vos diſſentire intueor? Nónne vos non aliud commendare, niſi quod ab Hippocrate, Galenoq; memoratum ſit, per ſanctè affirmaſtis? Cur nunc datæ deſertores fidei eſtis? Magna ſanè me hujus veſtræ levitatis tenet admiratio; ſiquidem ſi Hippocratis, Galenique omnes operum excutiamus pagellas, verſus omnes diligenter percurramus, nunquam hæc medicamina ab ipſis cognita, aut in uſu habita fuiſſe inveniamus. Quæſo codices aperite, circũferte, quo in loco Hippocrates hæc recenſet? Ubi Galenus hæc affert, oſtendite? Ecquis eſt, qui hæc in operibus eorum ſcripta inveniat, aut num in iis exſtare ex ullo audiverit aliquando? Nemo quidem profectò, cui mica bonæ mentis adhuc ſupereſt. Quare difficulter admodum mihi per-

Veſicantium præſcriptione, Inconſtantia in Priſcorum ſententia Pſ. Galenicis opprobatur.

perſuadeo veſtrum aliquem tam levioris eſſe intelligentiæ, ut hujusmodi remedium, quod nihil ex Hippocratis Galeniq; ſchola olet, iis innotuiſſe probare conetur. Etenim ſi hi de ulceribus in cute factis aliquando verba faciunt, nunquam de iis arte promotis, ſed duntaxat de ſpontè natis in Peſtilentiis loquuntur. Sic nanque Galenus [a] de quadam peſtilenti contagione ſcripſit, ,,Qui ſervati ſunt,
,, id fuit factum vel ob eruptiones in
,, cutim, ſive per ſudorem, ſive per
,, eryſipelata, ulcera, phlegmones,
,, herpetes, impetigines, pſoras &
,, lepras. Et [b] alibi: Qui evaſuri
,, erant, his puſtulæ, quas exanthe-
,, mata vocent, nigræ toto corpore
,, multæ, confeſtim apparuerunt, ul-
,, ceroſæ quidem plurimis, omnibus
,, certè ſiccæ. Quod & contigiſſe, notatur [c] ab Hippocrate, Sileno, Herophonti, & Simoni, in quibus papulæ ad cutim & abſceſſus ad crura

eru-

a lib. de cibis boni & mali ſucci.
b 5. methodi cap. 12.
c lib. 1, & 6. de morb. popular.

eruperunt: Quæ omnia certè ad naturæ expellentis motum, & non ad Medicorum induſtriam referenda ſunt: Et licet abſceſſus & ulcera in cutim erumpentia potuerint poſtmodum ope medica vel promoveri, vel diutius ſervari; nihil tamen exinde pro Veſicantibus medicamentis rationabiliter educere fas eſt; cum naturæ motum adjuvare prudentis Medici ſit; inſulſi verò & temerarii eundem præpoſterè, aut importunè præſtare. Parotides natura, cæteroſque abſceſſus in dies efficit: Quinam, rogo, ſanæ mentis Medicus ea excitare tentat? Convulſio curatur ſuperveniente febre: Quinam, ut convulſioni mederetur, febrim unquam citra perniciem induxit? Hydropem curatam multoties fuiſſe aquoſis humoribus per umbilicum excretis, vel ulceribus in tibiis, cruribuſq; ſpontè erumpentibus, Medicæ teſtantur Hiſtoriæ; & nemo, niſi temeritate adductus, fonticulos excitet in tibia, ſeu abdomen ſecet in hujuſmodi mor-

Non quod Natura per agit, à Medico rectè effici poteſt.

morbis . Natura in pleuritide per tuſſim ſanguinem expurgat : ignari verò Medici eſſet apparente ſputo, ut ſanguis educeretur, præcipere . Igitur Medicus non ſemper poteſt , aut debet , quod natura facit , efficere , nec quod ab ipſa ſalubriter perficitur, ſalubriter quoque à Medico perficietur ; ſiquidem morborum cauſæ à Medico ignorantur ; naturæ autem noteſcunt . Opportunum tempus eas expellendi Medicus neſcit , naturam autem non latet. Exacta humoris expellendi quantitas,debitus modus,& conveniens locus à Medico ut noſcatur,difficillimũ eſt:à Natura verò non operoſum.Natura nocuum ejicit jam ab utili portione ſecretum : quod certè Medicus omni adhibita diligentia minimè exequi poteſt . Oportet igitur, ut Medicus director potius ſit naturæ, quàm imitator, illamque ſi viderit bene & ſalubriter operantem, ſpectator eſſe debebit; ſi autem aliter agat,ac ſalus ægrotantis expoſtulat,omne ſtudium,neceſſum eſt, in

ipſa

ipſa regenda ut ponat; non ſecus ac Nauclerus, reflante Vento, ad portum omni ope, atq; opera navem dirigere nititur.

Sed ne fortè hac in re aliquid de industria reticere videar, ad illud Galeni teſtimonium veniam, quo ita vobismet blandimini, ut Veſicantia ei in uſu fuiſſe in dubium minimè revocetis „ Eodem [a] modo (inquit) „ ſi redundantia ad caput, aut ventrem feratur, medicamenta mordacia manibus pedibusque admota revellere in contrariam partem „ ſolent. Ecce quàm apertè Galenus, veſtrum quiſpiam ait, noſtram ſententiam confirmat, & approbat, ſimulque morbum, cui Mordacia ſeu Veſicantia ſunt adhibenda, dilucidè annectit. Hui! pulchrè dixiſtis! Mordacia ne medicamina Veſicantia ſunt? Ut erratis! Mordacia enim remedia, ſi Medica Lexica pervolutamus, ſunt, quæ extrinſecè appoſita tenuibus ſuis partibus cutaneas fi-

G bras

a comm. 13. lib. 1. de humor.

bras irritant, earum poros reſerant, & humores inibi fortaſſe remorantes ſenſim attenuant, ac reſolvunt. Veſicantia verò, nedum irritant, ſed præ ſumma particularum, ex quibus conſtant, acutie, fibras atterunt, laxant, vaſa aperiunt, & ampliorem humorum affluxum verſus extimam corporis partem eliciunt, qui intra cuticulam retenti, illam in veſicam attollunt. Præterea nónne mordacia remedia ſunt Smegmata, externa cutis vitia abſtergentia? Pſilothra, pilos denudantia? Dropaces ad alimoniam partibus conciliandam, & ad alias externas, internasque affectiones expugnandas, deſervientes? Phœnigmi, ruborem in cutim excitantes? Si mordacia igitur ſunt, cutim ne exulcerant, & in veſicam eam attollunt? Minimè quidem; multum enim inter hæc & veſicantia intereſt, ut apud omnes Practicos, & præcipuè apud Acerrimum veſicantium Patronum Herculem Saxoniam [a] legere

re

a lib. XI. de Phœnigmis.

re potueritis. Sed quid iſthæc immoror, cùm ex ipſamet Galeni ſententia veſtra opinio apertè retunditur? Quorſum, obſecro, vèrba illa immediatè ipſe ſubjungit „ Quin
„ etiam ſi materia in os, aut pa-
„ latum, aut gurgulionem fluat,
„ erit ad nares derivanda uſu me-
„ dicamentorum mordacium, quæ
„ per nares caput purgantia nomi-
„ nantur: quæ verò ad oculos fertur,
„ eam ad os per mordacia gargariſ-
„ mata retrahes. Niſi, ut oſtendat, pro medicamine mordaci ea accepiſſe, quæ acrimoniâ, qua pollent, irritant membranas, & craſſos humores attenuando verſus aliquam partem, eos prolicere valent, & haud ea, quæ vaſa aperiendo cutim veſicant & exulcerant. Nemo enim ad revellendum humorum affluxum ex ore, palato, proximisq; partibus remedia cutim exulcerantia in nares immiſit. Nullus ad fluxum ab oculis derivandum veſicantia in gargariſmate præſcripſit. Hic igitur error à veſtra

mente eſt eripiendus: hæc detrahenda opinio.

Pſ. Galenicorum Reſponſum adducitur, & quam ſint etiam à Veterũ methodo veſicãtibus adminiſtrandis alieniſſimi, oſtenditur

Deus, Diviq; omnes (veſtrum nonnullos audio, qui me hinc abeuntem ſic revocet) à noſtra avertant mente, Hippocratem Galenumq; hìc pro nobis allegare: Veſicantia his nota fuiſſe non dicimus; nec hoc unquam aſſeruimus ſed ſi ea Veteribus innotuiſſe omni aſſeveratione affirmamus; Ruffo, Oribaſio, Aëtio, Æginetæ, Avicennæ perſpecta fuiſſe arbitramur. Agedum, ſint hæc, ut dicitis: verùm adduci non poſſum, ut credam, prædicti Auctores iis caſu & temerè, quemadmodùm & vos quotidie utamini, in omnibus morbis uſi fuere: Quis nanque, quis eorum, ſi quantùm memoriâ repetere præterita poſſumus, iſtiusmodi remedia inconſideratè contra omnes cujuscunque naturæ febres præſcripſerit? Quando Oribaſius, qui primus horum medicaminum fuit promotor, ſic ea indiſcriminatim cuti affixit, aut aliter, ut oportuit, approbavit?

Quan-

Quando Æginetа? Quando Aëtius, aut ullus alius ex longiſſima illa, ac penè innumerabili Veterum ſerie? nunquam planè, nunquam ſic caſu & inconſultè ea adhibuere, ſed raro admodum, & magna cum animadverſione, ut ad rem & appoſitè animadvertit [a] Septalius; iis enim duntaxat in peſte utebantur, nec ſemper, ſed ſolùm quando peſtilenti morbo maximus ſopor, aut ſumma partium refrigeratio adjuncta videbantur, quæ optimo jure hujus remedii propria indicia dici merentur; & ubi vel ſoporoſos excitare, vel morbo frigefactos calefacere neceſſarium non erat, ab uſu eorum prorſus abſtinebant. Quod ſi ita eſt, quid hîc muginari, quid hiſcere audetis, ſi in omnibus febribus, à quacunque cauſa ortis, cujuſcunque eæ ſint generis, ob moleſtum ſymptoma iis adjunctum, malignitate prædicta, ad veſicantia tanquam ad ſacram anchoram confugitis? Tantúmne iis arrogatis, ut

a in animadverſ. & cautel. medic. lib. 7, n. 44. & 45.

mortiferum virus, interna obſidens viſcera, ad dolentem & labefactam partem attrahere valeant? Tantúmne iis tribuitis, ut hæc à vobis conficta malignitas, eorum ope, ad cutim ægrotantis decumbat. O vim maximam erroris! Conducibilius quidem profectò eſſet, ea veſtro capiti, ut iſtam præcõceptam malignitatem ex eo trahant, quàm miſero ægrotantis corpori, in quo nihil maligni conſtat, affigere. Fructuoſius certè eſſet, ea veſtræ fronti inferre, ut ingentem ruborem vultui veſtro incuterent, & erubeſcere de tam facili malignitatis in omnibus febribus prædictione, ediſceretis; quando id ſtatuere, ſtudii multum, induſtriæ plurimum eſſe adhibendum graviſſimi contendunt Auctores, inter quos non injuriâ Franciſcus Piens [a] exclamat:
„ Natat quidem τὸ Malignum o-
„ mnium in ore, ſed res ipſa eſt ob-
„ ſcuriſſima, tormentisque opinio-
„ num tam eſt obſeſſa veritas, vix,
ut

[a] tractat. de febrib.

„ ut tantilla ejus vis è longinquo ſe „ exſerat. Et vos ſic facilè, de malignitate febrium, quæ ut agnoſcatur, non leviter eſt laborandum, decernitis? ſic promptè omnes cujuscunq; generis febres malignas appellatis? Eja pudeat vos tantæ inertiæ, & in cæco tam auſu erubeſcite: ſed qui pudor, qui rubor, ſi in vobis præmortui jam ſunt!

Quæ febres ſint Malignæ, easque Veſicantia non expoſcere, apertiùs docetur.

Sed antequam propius cum hiſce pravis Galenicæ Scholæ inſectoribus congrediar, perſpicuitatis gratiâ, permittite mihi Auditores, ut cum Jacobo Primiroſio ees paucis edoceam, quænam febres malignitatis notâ ſint deſignandæ. [a] Duplices ſunt febres malignæ, unæ propriæ, & veræ; alteræ impropriæ & mendaces dictæ: Primi generis ſunt eæ, quæ ex venenata, & mortifera producta qualitate, licet gravia ſymptomata conjuncta ſecum habere non videantur, tamen occultè, furtimque ægrotos invadant, & ex impro-

 viſo

a lib. de febrib. c. 15.

viſo poſtea eos jugulent: ut benè Galenus [a] nos monet „ Debiles quidem & parvæ febres quandoque „ valde malignæ ſunt: & aliæ calidæ, atque incendentes, ut ſtomacho anguſtiam & calorem, & ſitim „ intolerabilem afferant, nihil tamen habent nonnunquam periculoſum. Secundi generis ſunt eæ, quæ à venenoſo miasmate originem non trahunt, tamen præ ſummo ardore, ſiti inexhauſta, acuto capitis dolore, pervigilio, delirio, aliisque ejusdem generis accidentibus, quæ ſecum afferunt, malignæ poſſunt denominari, quamvis revera ſint acutæ, ut ex prædictis verbis etiam colligi poteſt. Quæ ergo ex his veſicãtia exquirunt? Nullæ equidem; ſi de primis enim dicamus, eæ ab aura quadam venenata dimanant, quæ vel diſſolventis naturæ ſit oporteat, ut Sylvii ſectatores contendunt; vel coagulantis ut Williſii fautores exclamant: Si diſſolventis, quid magis nocuum,

quàm

[a] lib. 3. de criſib. c. 4.

quàm Veſicantia? quippe quæ ex cantharidibus, ſimilibusq; ſale quodam volatili corroſivo præditis, conſtant, & tantùm abeſt, ut calorem febrilem, ac veneni diſſolventis vim poſſint obtundere, ut utrunque potius adaugeant, liquores reddendo magis fluxiles, & fermentationi idoneos; quod clariſſimè patet injectione pulveris cantharidum in ſanguinem recens è vena ægrotantis extractum, qui præfato commiſtus pulvere, totus in ſerum nigrum ac ſublividum diſſolutus jam abit. Si coagulantis eſt naturæ, quæro, veſicantia vel duntaxat coagulum fundunt, & ad cutim id non trahunt; vel diſſolvunt & trahunt. Si tantùm fundunt, & vim ad corporis ſuperficiem trahendi non habent? Ad quid iſta fuſio cum notabili detrimento patratur, ſi eadem citra perniciem ſudoriferis, diureticisque effici benè poteſt? Si reſolvunt, & trahunt, qua vi magnetica veſicantia hoc peragunt? quibus unculis, hamulisq; nocuum

ad corporis peripheriam trahunt? Poëtarum profectò iſta ſunt, non autem Philoſophi: jurè igitur meritò Helmontius [a] exclamat „ Stulta „ ſubſidia circa corporis ſuperfi„ ciem, ubi centralia laborant & ob„ ſeſſa ſunt, quibusque non expedi„ tis ab hoſte, fruſtra eſt, & no„ cuum, quicquid per ejusmodi ſi„ miarum geſticulationes eſt inten„ tatum. Vanum certæ ſpei rudi„ mentum eſt velle per conſequens „ radicem loco dimovere, aufe„ rendo inſontem cruorem è pelle. Porro ſi trahunt, númne ſeroſitates coagulati ſanguinis excernuntur, & ſeri eductione magis ſanguinea maſſa ad coagulationem propendet? Númne quicquid per ea evacuatur, exiguum eſt, neque ad minuendum peccantem humorem ſufficiens? Quis eſt præterea Artis Medicæ ſic expers, qui grave damnum non agnoſcit, quod, ſi iſta traherent, ægrotantibus ſit ſubeundum?

ete-

a lib. 4. de febrib. c. 7.

etenim proculdubio tractio iſta ab arteriis fieri deberet, ut à centro ad corporis extimam partem humores Veſicantia evocarent, quoniam in venis valvulæ impediunt; cumque autem vitioſi humores, ichoresque maligni intra venas à vobis collocentur, ut per arterias ad cutim tranſmitti poſſent, per cor ipſum ut primùm pervadant, neceſſe eſt, quod ſine damno longè graviori contingere nequit.

Verùm ſi ab hiſce primi ad ſecundi generis febres ſermonem transferre lubet, cui exploratum non eſt, earum diſſolvens fermentum per Veſicantia auctius fieri? Quem veſtrum fugit ejuſcemodi medicamenti genus ex Euphorbio, Sinapi, Cantharidibus, aliiſque ſimilibus acrimoniâ præditis componi? Cui incompertum, particulas haſce acres ſanguini conjunctas, motuque ipſius circulari per totum corpus delatas, viſcerum ardorem, ſítim, dolores capitis, vigilias, deliria, phlogoſimque augere? Teſtor Oribaſium,

ſium, Paulum, Aëtium, qui nunquam veſicantium uſum in acutis morbis, ſed ſolùm in iis ex frigida (ut more veſtro loquar) cauſa productis, & in frigidioris temperamenti ægrotantibus probare auſi ſunt. Teſtor [a] Galenum, qui licet veſicantium ignarus, de remediis excalefacientibus adeo extimuit, ut in continentibus febribus, & in omnibus hiſce, quæ ex inflammatione ortum ducunt, frictiones, unctionesque calidas, immò verò etiam oleum chamæmelinum prorſus improbaverit.

Sopor & Perfrigeratio partium in febribus, licet Veſicantia indicent, diligenter eſt tamen videndum, qui Sopor, quæ Perfrigeratio ſit.

Sed quæ vox cujusdam veſtrum ad aures accidit? Ergo ne in febribus malignis, quibus Sopor & Perfrigeratio partium contingunt, Veſicantia à nobis ſunt omittenda & omnimodè rejicienda? Lethargici, Comatoſi quomodo excitandi, ſi hæc ab Aula Medica arcetis? Refrigeratis quomodo calor nativus reſtituendus, ſi è medicaminum numero iſta expungitis? Apage; hanc veſtram opinionem

à me

[a] lib. 11. & 13. meth. cap. [illegible] & 6.

à me prorſus amotam volo. Nolite, quæſo, in re minimè controverſa putidè tricari. Sopori ut applicentur Veſicantia metuitis? Applico: Refrigerationi quin adhibeam veſicantia dubitatis? Adhibeo: breviter & apertè, ut omnis deinceps diſceptatio dirimetur: Applicanda ſunt ſopori & partium perfrigerationi veſicantia concedam, ſed cuicunque ſopori & partium perfrigerationi, hoc abnuo, hoc recuſo: ſed quàm diligenter animadverti à vobis oportet, an ſopor, à quo Veſicantia, ob dolorem excitandum, expoſci videntur, non ſit, qui paroxyſmi principio evenire ſolet; quo tempore omnis febris, etſi intermittens, nunquam à ſopore disjungitur; ſed ei copuletur febri opus eſt, cujus venefica cauſa, cerebrum aggreſſa, affectionem lethargicam producat, ex qua non ſic facilè æger evadit, niſi aliquo expergatur remedio: Perridiculum aliter eſſet iis ea admovere, qui ſponte, acceſſione ad declinationem tendente, à ſopore

ſe

ſe vindicant, ut id non ſemel à quibusdam veſtrum factum novi. At quod turpius fuit & jam in ore eſt omni populo, pulſum bonum poſtera die, & febrem jam intermiſſam inveniſtis, & à nullo alio oppreſsum ſymptomate lecto ſe teneri ægrotum exclamantem, quàm ab ulcere fœdo, veſicantium ope excitato, propriis auribus accepiſtis. Ubi gentium tantam temeritatem in re medica extitiſſe auditum eſt? tantam impudentiam?

Porro, ut veſicantia proſperum habeant eventum, diligenter etiam expēdere debetis, num ſopor ab humoribus in ventriculum collectis proveniat; ſæpe enim evenit, ut ex ipſis in ſtomachum, adjunctaque inteſtina congeſtis narcotici vapores ad caput aſcendant, quo in caſu, niſi dejectorio medicamine cauſam auferatis, inani conatu, ut æger reſipiſcat, veſicantia affigitis: in qua opinione, ne quis veſtrum ſine cauſa me eſſe credat, legat, rogo, hiſtoriam Pythonis

thonis filii, quam [a] apud Hippocratem habemus, cui biliosa eruperunt, & ſtatim ſopor ſedatus fuit, febrisq; mitigata. Quod quoque verum eſſe teſtantur aurea illa Helmontii [b] verba „ Nec enim ſoporoſus, quia dor-
„ mit, malè ſe habet, ſed dormit,
„ quia malè ſe habet. Adeoque im-
„ pedire ſomnum non eſt utile; ſed
„ duntaxat valet tollere radicem
„ ſoporis.

Inſuper diligentiùs eſt attendendum, ne ſomnus poſt vigilias contingat, ut iis ſæpe ſæpius, qui plures inſomnes duxerint noctes, evenire obſervamus: Sic pueri nonnunquam per biduum, cum multùm antea pervigilarint, maximo opprimuntur ſomno, quem nemo veſtrum eſt, ut arbitror, qui nimium cenſet, ſi talem neceſſitas exigit, & ex eo manifeſta excipitur utilitas. Fallor. Immodicum omnes, quotquot eſtis, ſtatuitis: morboſum decernitis, & una voce Veſicantia, Veſicantia adhibenda eſſe ex-

a lib. 7. de morb. popularib. circa fin.
b lib. 4. de febrib. c. 7.

exclamatis: Ecquæ actio unquã poteſt eſſe ab omni humanitate remotior, quàm hæc? Ecquæ omni barbarie crudelior, quàm cuti eorum, quibus ſomnus maximoperè ſit profuturus, veſicantia, imò vexantia remedia, ut expergeſiant, affigere? O humani corporis Tortores! Confectores!

Sopor denique veſicantia exquirens haud ille debet eſſe, qui à ſumma imbecillitate, viriumque exſolutione evenit, ut Primiroſius [a] memorat; Cuinam veſicantia tum conducunt, ſi ab iis magis, magisque vires infirmantur? Conferunt enim iſta, cum tempeſtivè cuti admoventur, & eo morbi tempore, quo vires conſtant, & haud fractæ ſunt: at ubi ægrotantium ſalus eo videtur redacta, ut ope humana ſervari jam ampliùs nequeat, ea affigere, eſſet perditos ægrotantes magis perdere? Hoc igitur monitum licet in foro Medico luce clarius innoteſcat, à vobis tamen, neſcio qua inſana temeritate excæcati non

aſpi-

[a] in comment. lib. 6. ſect. 7. epidem.

aſpicitur, cùm eo morbi tempore, quo munus optimi Medici eſt „ Prædicere & ſinere mori „ ut Valleſius bene [a] ſcripſit, ipſa ſummo cum artis dedecore præſcribitis.

Et ne nihil opertis oculis agatis, pariter perpenſum & exploratum habere debetis, an perfrigeratio partium extremarum non ea ſit, quæ acceſſioni contingit; quippe quæ minimè à venefica producta qualitate brevi tempore ſpontè evaneſcit. An à phlogoſi interna originem ducat, ut non raró in febri leipyria, ſimilique detentis contingit; tunc enim perniciosſus & funeſtus eſſet veſicantium uſus; in his febribus nanque interna viſcera conflagrant, & facilè à particulis calidis ſeu acrioribus veſicantium magnopere viſcerũ ardor augeri poſſit. Cæterùm hujusmodi febres cum tali partium perfrigeratione copulatæ de genere ardentium cenſentur. Sic Galenus [b] leipyrias vocat: „ Quoddam ardentium febrium per-

a In comm. Epid. lib. 6. ſect. 7.
b de inæqual. temper. c. 8.

nicioſum genus „ quæque pariter ab Hippocrate [a] in ardentiũ numero collocantur. Verùm quis eſt, qui audet veſicantia ardenti febre detentis præſcribere? Certè quidem nemo etſi Fautor & Encomiaſtes veſicantium te eſt, ut præclarè Willis hiſce verbis teſtatur „ In conſtitutionibus [b] im-
„ penſe calidis, ubi cum ſeri defectu
„ ſanguis aduritur nimiùm, atque ſi
„ febricitantes cum æſtu intolera-
„ bili, vigiliis, aut phrenitidi ſint ob-
„ noxii, veſicantia minus ex uſu eſſe
„ videntur. Præterea Hippocrates totam curationis ſpem talium febrium ponit vel in magna bilis evacuatione per ſeceſſum, aut per vomitum, vel in magna ſanguinis effuſione; quos omnes profectò naturæ motus veſicantium præſcriptio avertere poſſit: Audite quàm rotundè hæc docet in [c] Coacis „ Qui ad ta-
„ ctum minimè ſunt æſtuoſi, evadunt
„ phrenetici, maximè ſi ſanguinem
non

a lib. de affectibus.
b lib. de febrib.
c Verſ. 54.

„ non profundunt: & [a] alibi: Febrim
„ Leipyriam nonniſi per choleram
„ ſolvi.

Sed agite: ſopor & perfrigeratio eo modo obtingent, ut, ad hoc ut æger à ſomno arceatur, vel calor priſtinus membris reſtituatur, aliquod expoſtulent remedium, quod ſua vi partes ſanguinis ſubtiliores à narcoſi liberare valeat, & liquidis circuitum reſtituere: Quid vos cogit ſemper ad veſicantia, ut his indicationibus ſatisfaciatis, recurrere? Quid vos ad ea continuò præſcribenda impellit? Quæ eſt iſta veſtra ratio? quæ mens? Cur ſopori ut præſto eſtis, graveolentia aliquando naribus non admovetis? Cur perfrigerationi frictionibus & unctionibus calidis interdum non ſubvenitis? Legite Cornelium Celſum [b], qui varia, & diverſa contra frigus, & horrorem, quæ febrem ipſam vel antecedere, vel conſequi ſolent, proponit remedia; fomenta nimirum calida, & ſicca, frictiones

Veſicantia à Vſ. Galenicis inconſultè optimis aliis remediis anteponi demonſtratur.

a verſ. 120.
b lib. 3. c. 11. & 12.

ex oleo vetere, teſtas & titiones exſtinctos panniculis involutos, & ejuſdem generis alia. Legite Galenum, [a] qui bene ſciteque ad rem noſtram præcipit „ Ad tales febres, „ ſive ob inflammationem, ſive „ etiam ob malignitatem refrigeratas, iis artus fricare fortiter, & ca- „ lefacere oportet. Quæ cum ita „ ſint: Huccine Ars veſtra medendi recidit, ut cùm præ manibus tot alia tuta ſpecifica habetis, Veſicantia ſemper decernitis, hæc probatis, hæc laudatis, quæ ſunt incerti eventus, ipſoque morbo magis pernicioſa?

Verùm eſto ſint hi affectus contumaciores, ut rubificantibus uti neceſſe ſit, ut quid Sinapiſmos non applicatis, ut quid animalia exenterata non admovetis? Et ſi è ſanguine hoſtile febris virus, veſicis in cute excitatis, evellere optetis, ut quid novum & innoxium veſicandi modũ, cucurbitarum ope, ab Henrico ab Heers

a lib. 1. ad Glauc. c. 14.

Heers [a] inventũ in praxi dimittitis? Cur hæc intentata linquitis, quæ absq; tot moleſtiis miſeros ægrotantes excitare & calefacere valent, & ad Veſicantia ſemper progredimini? Quæ eſt iſta veſtra ſententia? quæ opinio? Specifica tuta non probetis, incerta probetis? quæ omnes Medici cariſſima habent, vos odiſtis? quæ acerbiſſimè omnes ita in abuſum habita oderunt, vos conſtantiſſimè diligitis? Quid? Ea tantùm æſtimatis, ut ſi fortè aliquando contingat ægrotus, iis adminiſtratis, ex morbo, quo tenebatur, evadat, nullus deinde morbus eſt, nullaque febris, ut ita dicam, quibus ea non eſſe præſcribenda exclametis: ſed quàm perperam tum Veſicantibus ſalutem jam revocatam adſcribitis, Auguſtinum Thoneium [b] in Medica Palæſtra exercitatiſſimum audite „ Quod „ ſi verò unus vel alter, ex complu- „ rium numero, ſalvus evaſerit, quid „ mirum, ſi id factum non tam veſi-

H 3 cato-

a Obſerv. Medic. 21.
b Obſerv. Medicinal. lib. 1. obſ. 29.

„ catoriorum ope, ſed vel robore „ naturæ, vel aliorum medicamen- „ torum adminiculo, vel ſi febre „ declinante, natura jam victrice „ adhibita. Fortaſſis ægri illi æque „ fuiſſent reſtituti, ſi non applicita: „ Non igitur tam temerario jactu „ de corio humano ludendum, ſed „ cautiùs, ac circumſpectiùs agen- „ dum.

Veſicantium permittentia & reclamantia exponuntur.

Magna eſt veſtra incogitantia, Pſeudo Galenici, magna profectò; ſed longè major eſt veſtra temeritas cuicunque ægrotanti ea præſcribere: Quinam veſtrum, obſecro, quid ægri temperies, ſeu cōſtitutio poſcat, quid tempus, quid morbus requirat, attentè animadvertat? Num temperies ejus, cui veſicantia ſunt adhibenda, debet eſſe ad humidum inclinans, ubi ſcilicet ſanguis ſeri ſatis magnâ copiâ redundat? num tempus, in quo natura ad aliam evacuationem non ſit inclinata? num morbus, qui præ diuturnitate vires non infregit? Sed quò proveho! Caſsus eſt labor

alia

alia animadvertere, cùm nemo veſtrum, ut intueor, hæc ſecum ipſe perpendit: Fabula enim eſt apud vos Temperies humida, quæ à Practicis tantoperè exquiritur, ut hujus remedii uſum ægrotantes bene tolerent, atq; ulcuſcula ab eo in cute excitata ichorem ſatis copioſum ſine dyſuria, aut magna loci veſicati phlogoſi exſudent: Fabula, inquam, eſt, ſi ægrotos calidæ, & bilioſæ, ut vulgò dici ſolet, temperiei, quorum nempe ſanguis ſalinis, ac ſulphureis particulis prægnans, ſero modico gaudet, veſicantibus affligitis? Natura per alias partes ad evacuandum prona vos non tangit, cùm in dies ſudorem, vomitum, dejectionem, aliosque criticos motus, ſtatu febris, iis ſummopere pervertitis. Diuturnitas denique morbi à vobis minimi reputatur, ſi Cachecticis, Hydropicis, Atro-Melancholicis, Gallica lue affectis, & aliis valetudinariis corporibus ea magno cum gãgrænæ periculo præſcribitis. Quid

eſt, quod vos ad hæc ſic temerè cuti affigenda impellit, niſi vexandi effrænata libido? Hæc excuſſit vobis ſenſus: hæc indicantium pondus trutinari non ſinit; hæc permittentia confundit: renuentia pervertit: hæc omnia inconſultè permiſcere compellit. O Ingenia ad torquendum prompta! O Animos ad vexandum præcipites!

Ingentes Noxæ ex Veſicantiũ præſcriptione editæ numerantur.

Tandem quò meliùs ad coërcendum veſtrum abuſum utar argumento, quàm eo, quod ex irreparabilibus noxis ope veſicantium corpori humano inflictis, deducitur. Quid quæſo utilitatis, dicite, ex iis tam ſæpe adhibitis decerpitis? Nihil. Quid juvamenti? Nihil: immo maxima detrimenta, damna pene infinita. Quæ ſi ita ſint; ad quid ſunt illa uſui? quorſum tam crebrò adhibentur? Quanti ea æſtimari, qua admiratione excipi, quanto applauſu, atque aſſentatione laudari velitis? A qua profectò præfracta opinione amovere vos debet illud aureum Hip-

po-

pocratis [a] documentum ;, Duo in
,, morbis præſtanda, adjuvare, aut
,, ſaltem non nocere. Sed quid per
flexum ac circuitum vobis eloquar? liberè dicam. Quot mictu ſanguinolento (refugit animus, eaque dicere reformidat) ab ipſis promoto vitam cum morte commutarunt? Quot à ſopore evaſi in delirium incidére? Quot præ ſiti tantalea, dolore ſeu ulcere veſicæ, urinæque ardore, ſudoribus frigidis, ab acribus particulis cantharidum excitatis vitæ pericula obiere? Quot motibus convulſivis, graviſſima ſpirandi difficultate, vomitu pertinaci interiere? Quot denique (ò ſpectaculum miſerum atque acerbum!) in inflammationem, gangrænam, ſphacelum, & in ulcera curatu difficilia incurrerũt? Quis nanque, quis præ temporis brevitate poterit ſufficiẽter damna ab iis allata, quæ ſunt pene innumerabilia, recenſere? Quæ profectò, ut opinor, non contigiſſent, ſi unusquisque ve-

a De morb. popul. lib. 1.

veſtrum nō tam repentè & inconſultè ea præſcripſiſſet, ſed hæc ſecum duo verba feciſſet. Quid ago: fortè aliquid loci rationi & conſilio dediſſet, & non ſic ad reliquias vitæ ægrotantium lacerandas & diſtrahendas hiſce medicaminibus adventaſſet.

OPERIS

PERORATIO.

SEd ne ampliùs in hac cauſa tempus extrahatur dicendo, Auditores Præclariſſimi, finem jam faciam, eò quidem libentius, quò mihi omnes ad incredibilem impudentiam eorum coërcendam aditus arduos, ac potius interclusos jam video. Apud hos enim non ratio, non argumentum, non cujusquam auctoritas valet: Igitur eorum errata è Medicorum albo expunctione, non mea voce, nominum è tabulis Reipublicæ Medicæ abraſione, non meo ſtylo, plectenda jam ſunt. Qua de re veſtra Auctoritas, Senatores Ampliſſimi, neceſſariò interponenda eſt: Veſtrum erat, ineluctabile frænum exitiali huic medendi methodo undique diffuſæ, omnino injicere. Veſtra intereſt, quod ad ſalutem communem pertinet, proſpicere, atque conſulere. Quid enim?

Diffi-

Difficilis ne hodie vobis, Clariſſimi Viri, ea, quæ ſemper nunquam dubia fuit, deliberatio videtur, ex albo videlicet Galenicam Sectam inſtaurantium, eos expungendi? Conſtantem, ſi aliquid fortè ſit, quod diſtrahit veſtrum animum, abjicite: rectam ſententiam cum ratione congruentem, cum Reipublicæ ſalute conjunctam glorioſiùs tuemini. Ad quid tandiu hoc Senatus conſultum tanquam gladium in vagina ſervetis, quin in eos diſtringitis, ſi id, & ſalutis omnium ratio, & vitæ omnium cauſa expoſtulat? Omnes enim, ſcitote, qui hoc loco adſunt, & qui ubique ſunt, ut ab hiſce corruptelis Patria vindicetur, veſtram ſeveritatem deſiderant, veſtram fidem implorant, veſtrumque auxilium exquirunt: Omnes quicquid ſalutis, commodi habent, totam denique vitam in veſtris ſententiis verſari arbitrantur. Nolite igitur eorum nomina diutius in Medicorum tabulis inſcribi. Eja ex iis hæc tollite, expungite, exturbate.

Et

Et vos, Pſeudo-Galenici, quid jam amplius exſpectatis? Ut quid vehementius expoſtulamini? Num è Medica Republica exire mæretis? Quid enim eſt, quod vos tam in ea delectare poſſit? Num Auctoritatis gradus? Quid! Si fucati Galenici eſtis? Nomen ne, veſtrumq; decus? ſed quæ! ſi neminē, eſſe arbitror, in tanto populo Civem, qui vos, ut Sanguinarios non metuat, ut Stercorarios non prædicet, ut Vexatores non oderit. Quid ſoli vobiſcum murmuratis? Si cùm effrænate ſanguinem miſiſtis, propriis auribus multos cum Waldſchmidt: „ [a] exclamantes accepiſtis „ Venæ „ ſectiones, purgationes, ſcarifica„ tiones, ſetacea, fonticulos alia„ que vel in ruinam, vel in carnifi„ cinam Generis Humani eſſe exco„ gitata „ Quid caput quaſſatis? ſi multoties, cum cathartica temere præſcripſiſtis, multos cum præcitato [b] Auctore pariter quærentes au-

a in epiſt. 1. ad Dom. Dolæum.
b in med. Carteſ. Theſ. V.

auſculraſtis „ Nomẽ purgationis eſſe „ nomen impoſtoriũ,cum non ſit pur- „ gans , ſed deſtruens , & hoſtile vitæ „ virus . Quid negotii hic vobis amplius eſt? ſi omnes,cum cuti incõſultè veſicantia affixiſtis,in illa Helmontii verba [a] prorumpentes audiſtis „ Ve- „ ſicatoria ſemper nocua ſunt , & à „ Spiritu nequam Molocho excogitata . Quid igitur eſt agendum? Quid conſilii à vobis capiendum ? Num doletis ex Medicorum cœtu diſcedere ? Miſerum ſanè eſt , è Sapientum Virorum conſortio deleri : at miſerius eſt , tot Cives inſpicere ſub phlebotomo exſpiratos : Acerbum profectò eſt , ex numero Medicorum abradi : at acerbius eſt , intueri tot ægrotantes catharticis ad mortem deductos . Calamitoſum ſine dubio eſt , in Veterinatiorum cœtu adſcribi: at calamitoſius eſt , veſicantibus interemptos aſpicere . Ecquid exſpectatis ? En album : En ſyllabus Me-

a lib.4. de febrib.c.7.

Medicorum; eja propriis manibus veſtra nomina inſcripta expungite? Populi ne auxilium petitis? rogare omittite; etenim hic admurmurans parato eſt animo ad id agendum, ſi voluntate id non facitis. Ad fidem núnne Clarorũ Virorum confugitis? Caſſæ ſunt veſtræ preces; totus enim eorum cœtus, ſi una voce loqueretur, hoc diceret: Quod ſanguinis, quod roboris, quod ſalutis in me fuit, id mihi Vos Pſeudo-Galenici phlebotomiis, catharticis, & veſicantibus temerè adminiſtratis, eripuiſtis atque abſtuliſtis? Ecquid amplius attenditis? Ecquid hîc ſtantibus ſpei eſt? Senatus num ſilentium animadvertitis? Ah, ne ſimplices tantoperè? ſi ex hujus Præclariſſimi Senatus ore ſententiam exſpectetis, erratis; hi enim, cùm quieſcunt, probant; cùm patiuntur, decernunt; cum tacent, clamant. Quæ cùm ità ſint, tantâ ne amentiâ præditi, atque audaciâ eſtis, ut non ſolùm non erubeſcatis, ſed frontem etiam nobis oſtendere

per-

pervicaciùs audeatis ? Eja, nulla ſit in vos mora : paratus eſt Stylus: Syllabus eſt in promptu : ſeveritatem res ipſa flagitat: veſtra nomina ex eo propriis manibus expungite, eximite, abradite.

Dixi.